Vaſconibus caſtrametati ſunt. Hos Marſurius, & frater, qui in eam ſtabant occaſionem erecti, ex improviſo adorti, Rolandum cum flore totius Gallici exercitus cæcidere. Scribit Turpinus (nam is cum Carolo erat eo die, qua clades illa inſignis eſt à Gallis accepta) ſe ſacris apud Regem operantem, media cæremonia, ſibi viſum cernere, audireque cœtum animarum ad cœlum cum cantu aſcendentium. Carolus tam atroci nuncio perculſus, retrò in hoſtes converſus, abeuntes per magna ſpatia inſectatus, ad ſatietatem cæcidit: Ganalonum inde proditionis convictum ferociſſimis quadrigis diſtractum, laniavit. *Sabell. l.8. Ennead.8.*

Cùm Maſtinus Scalanus Venetorum, ſociorumque armis premeretur, Marſilium Carrarium Patavinum Venetias miſit pacis cauſa. Marſilius cum Principe ſecretiore ſermone egit de Patavina defectione, quæ non multò poſt ſecuta eſt. Ferunt, cum, aſtante legatorum corona, demiſſo ſermone, Dandulo dixiſſe: Ecquid, ſi tibi, Princeps, Paduam daremus? Tum illum: & voce, & vultu rem, quæ interim agebatur, diſſimulando, Eam tibi habendam traderemus, reſpondiſſe. Marſilius domum reverſus, Maſtino ad Brixiam obſidione levandam, Patavinis finibus abeunte, Petrum Rubrium Venetorum Ducem cum copiis accerſitum, aperta illi porta, quæ Pontis curru dicitur, intra mœnia admiſit. Hic pro concione civitatis regimen, Venetorum nomine Marſilio Carrario miro omnium conſenſu delatum eſt. *Sab. lib.2. Dec.2.*

CONSILIARII.

Conradus Dux Glogovienſis bellum adversùs Henricum Legnicienſem animo verſabat, ob interverſum Uratislavienſem dominatum. Et cùm imparem ſe illi eſſe viribus intelligeret, incautum dolis circumvenire ſtudebat. Luticum unum de familiaribus, & conſiliariis Henrici, gente Habdancum, donis, & promiſſis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici, & magnis ab eo beneficiis affectus: ſed patrem ejus Paſcoslaum, gratia, & favore Principis inſoleſcentem, Henricus capite plecti juſſerat, quòd is homicidii reus, crimen, fruſtrà diſſuadente ipſo judice, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorem Henricus poſteà, collatis in eum plurimis, & magnis beneficiis. Et ille jure cæſum patrem profeſſus, jurejurando dato, perſuaſerat Henrico, ne quid ob eam rem de fide ſua dubitaret. Conradus itaque cum faces Lutici animo ſubderet, ac malè curatum vulnus refricaret, effecit, ut plus apud eum valeret vetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odram, haud longè ab arce Uratislavienſi corpus curabat Henricus: advolat eò Luticus cum armatis: Henricumque præmonitum quidem de adventu ſuo, ſed nihil tale ſuſpicantem, nudum è balneo extrahit: & vili palliolo tectum, atque equo impoſitum, continuato nocte, dieque curſu Sanduoithum, quod in ditione Conradi erat, aſportat. Inde vinctus Glogovium perductus, in anguſtum vas ferreum concluditur: in eo duo erant parva foramina, alterum, quo cibum ſumeret, alterum, quo alvum purgaret. In eo ſex totos menſes aſſervatus, neque ſedere, neque jacere potuit. Ad extremum eò redactus eſt, ut jam tabeſcente corpore ſanies, & vermes de ſcapulis, & femoribus ejus ſcaturirent. His malis victus, tandem duriſſimis conditionibus à Conrado dimittitur. *Cromer. l.10.*

QUID. QUI PRODIDERE REGNA, REMPUBLICAM.

Phryno, & Philocrates, ambo proditores, alter ob proditionem Athenis exulavit, & ob lenocinium malè audiit: Phryno autem ob proſtitutum ſuum filium, quem ad Philippum Macedonem adduxerat. *Suidas.*

Dorylaus Tacticus, proavus matris Strabonis Geographi, cùm maximos alios honores, & Cumanorum Sacerdotium ab Eupatore accepiſſet, regnum prodere Roman. deprehenſus eſt. Illo everſo, totum genus in calumnia fuit. *Strabo lib.12.*

Proditor perdit uno tempore, quæ longo parta, ſervataque extitere, ut de Ruffino ſcribit *Claud. 2. in Ruf.*

Heu, heu, quàm brevibus pereunt ingentia cauſſis,
Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners anguſto tempore vertit.

Franciſcus Carmaniola, obſcuriſſimo loco natus inter Allobrogas, quamvis non malè meritus de Philippo Vicecomite Mediolanenſium Duce, cùm eum fugiens, ut ingratum Principem vitæ ſuæ inſidiantem expertus eſſet, vitabundus ejus dolos, in ſenatus Veneti tutelam Venetias cum uxore, & reliqua familia confugit. Qui tanta eum benignitate excepit, ut nihil iracundiam tanti principis veritus, ei ſummam totius Reipubl. ſuæ, veluti mancipio crediderit. Is tandem poſt claram victoriam Maclodienſem ſuo ductu, auſpiciiſque ex hoſte partam, Cremonam urbem è manibus ſuis elabi paſſus eſt, claſſem Venetam in Pado agentem neglexit, & de tota re Veneta proditorem ſe fore Philippo principi promiſit. Id quod cùm literis manu ſua ſcriptis cognitum, perſpectumque foret, cervix ei publico decreto inter geminas columnas abſciſſa eſt. *Egnatius l.5.c.3.*

EXERCITUM.

Pharneus Cyrreſtes Ventidii exercitum contra Parthos prodere nititur. ☞ *Vide locum Stratagem. Conſilia ſua occultare.*

Commentiolus Dux prodit exercitum Barbarorum. ☞ *Vide Tit. Sævitiæ bellicæ erga ſuos milites.*

URBEM.

☞ *Ex Tit. Prudentiæ bellicæ, Urbes capere, per portas intrando huc quædam.*

Tharbis Æthiopis Regis F. Patriæ proditrix. ☞ *Vide Tit. Juſjurandum hoſti datum callidè interpretari.*

Æneas, & Antenor patriam Trojam Græcis cùm illos per portam, quæ equinam habuit effigiem, introduxiſſent noctu, prodidiſſe dicuntur rumore incerto. *Vide de hac re Sab. lib.7. En.1.*

Peloponneſiaco bello, quod inter Athenienſes, & Spartanos geſtum eſt, Agidi Lacedæmoniorum Duci Xenias Eleus Elin ipſam tradere eſt aggreſſus. *Pauſan. in Achaicis.*

Philippus frater Antiochi Dionyſii Syriæ Regis, opera Mileſii arcis præfecti urbe Damaſcenorum potitus, per ingratitudinem non remuneravit eum, quòd vellet videri, terrore urbem, non proditione cepiſſe. Quapropter ſuſpectus Mileſio redditus, rurſum Damaſcum amiſit. Progreſſum enim in circum animi gratia Mileſius excluſit, & urbem ſervavit Antiocho Dionyſio. *Joſeph. l.13.c.13.*

Laſthenes, qui Philippo Macedonum Regi Olynthum prodidit, quærebatur, ſe ab illius amicis ut proditorem infamari. Ei Philippus, Macedones inquit, natura ruſticiores ſunt, ac rudes, & ſcapham dicunt ſcapham. *Cæl. lib.8. cap. 3. Antiq. lect.*

Præfectus Brutiorum prodit Q. Fabio Maximo Tarentum. ☞ *Vide Tit. Urbes, propugnacula, arces capere, propugnatores in diverſum locum diſtrahendo.*

Theophilus Imp. ab Agarenis victus, Amorium communiit. Cujus expugnatione jam deſperata fortiter propugnantibus, qui intus erant, Agarem diſceſſuri erant, niſi Amorienſis quidam Baptizes ob contentionem quandam, prodita patria, monuiſſet Agarenos, ut ab ea parte urbem oppugnarent, qua facilius in muros evadi poſſe norat. *Cedren.*

Oliverus, in aula Gulielmi Scotorum Regis ſui verſatus ob furtum exilio damnatus, ad Saracenos confugerat. Qui cùm linguam, ac mores prædidiciſſet, creditus ex ipſorum eſſe numero, ſtipendia Ptolemaide merebat (quam Richard. Anglorum Rex, Davide Scotorum Regis fratre comitante obſidebat) ac tum fortè fortuna portam quandam, ubi civitas unico tantùm muro cincta erat, arcibus fortiſſimis idcircò munitam obtinebat. Cùm extra muros inter ſtationarios milites, qui ex ſtipendiariis Davidis erant, procerum quendam Joannem Duirvard nomine conſpiceret, cui in aula olim familiaris fuerat, vocem eum vernacula compellat. Joannes animum hominis tentat, ut portam eam aperiret, Annuit ille, ſi confecta re patriam, ac agrum ſibi David reſtituere vellet. Itaque conſtituta hora noctis, David cum magna militum manu intra portam receptus, cædibus omnia complevit. Sub lucem Richardus captam urbem ingreditur. *H. Boeth. l.13.*

Mortuo Philippo Maria Vicecomite Mediolanenſium Duce, Franciſc. Sforcia, quòd Philippi genere eſſet, principatum ambiit, & inita cum Venetis ſocietate Mediolanum obſedit. Carolus Gonzaga, qui à Mediolanenſibus deficiens ad Franciſcum venerat, rurſus Mediolanenſes ſine ullo duce relictos videns ad eoſdem relicto Franciſco tranſivit, ſpe nimirum tyrannidem invadendi. Sed expectatione ſua fruſtratus, per internuncios Franciſco reconciliatur: & magnis allectus præmiis, Laudam prodidit: tertiòque jam fidem fallens, non ſine magno Mediolanenſium damno, ac plebis conſternatione ad eum tranſivit. *Æn. Sylvius c.49. Europæ.*

Galli, quos contra Ludovicum Sforciam, Galliȩ Rex Ludov. XII. anno 1499. miſit Valentiam, Inſubriæ civitatem munitiſſ. Donati Raffagnini Mediolanenſis in ea urbe arcis præfecti, Trivultii promiſſis corrupti opera cœperunt: ab eo enim per arcem in civitatem introducti, omnes milites partim ceperunt, partim interfecerunt, inter quos Octavianus Sanſeverinatis nothus frater captus fuit: & erat notatu dignum, hunc eundem præfectum ante annos viginti Principi Bonnæ, & parvo Duci Joanni Galeacio fide fracta, eodem die quo Gallos in Valentiam urbem introduxit, Ludovico Sforſiæ Dertonæ portam tradidiſſe. *Guicciardinus. lib.4.*

Obſidentibus Albam Grȩcam Turcis, Milites quidam de urbe tradenda, auri ſpe facta, conſilium cepere. Eos Paulus Kiniſius, inferioris Ungariæ præfectus, comprehenſos, ſe mutuò devorare coegit, ſingulis diebus ſingulos aſſos ſociis apponens. Qui ordine ultimus erat, famis rabie ipſe ſeipſum dentibus laniaſſe fertur. *Bonfin. l.3. Dec.5.*

ARCES.

Senex quidam Petram Arianorum Alexand. proditor. ☞ *Vide Tit. Certamina gloriæ ob fortitudinem.*

Bello Neapolitano anno 1461. Mottam Ruſſam caſtellum munitiſſimum, quod Joannis Andegavenſis partes ſequebatur, Alfonſus Ferdinandi Regis F. obſidebat. Caſtellanis ſeſe acriter defendentibus, Antonius quidam, qui è monacho per ſummum ſcelus factus eſſet miles, atque ob morum improbitatem agnominatus Gabadæus, cùm eſſet ipſe unus è turris cuſtodibus, obtulit popularibus clàm ſe tranſiturum in hoſtium caſtra, tormentaque clavis ferreis confixurum, ne diſplodere poſt id poſſent. Cujus cùm eſſet conſilium ab illis laudatum, ipſe furtim caſtra ingreſſus Centiliam Ducem hoſtium adit, offertque proditurum ſe Alfonſo Ferdinandi Regis F. turrim, ſoluto precio, ſignaque, ac diem conſtituit. Re ab Alfonſo comprobata redit intra Caſtellum, hoc priùs cum Centilia compoſito, ut perinde atque tormenta confixa clavis eſſent, ne quo modo aliquamdiù diſploderent. Reditus ejus maximè acceptus popularibus, præſertim non diſplodentibus bombardis, confirmata fide promiſſorum. Igitur Gabadeus ad dictam diem turrim aſcendit, aliquantumque caſtra, munitioneſque conſpicatus, ac ſi magnum etiam aliquid animo adversùs hoſtium munitiones agitaret, quòd ſol eſſet ardentior, rogavit ſocium, qui unus cum ipſo aſcenderat, pileum ad ſe uti deferret, ferventiſſimum ſub æſtum integendo capiti. Itaque ob eam ille cauſam ubi è culmine deſcendit in imum turris, confeſtim Gabadeus ſubductis ſurſum repentè ſcalis, pallium haſta infixum (quod ſignum proponendum convenerat) è propugnaculis prætulit. Milites qui ad munimenta inſtructi, paratique aderant, ſignum conſpicati, turris ad vallum magno impetu concurrunt, atque inde intra turrim excepti in Caſtellum irrumpunt, captumque confeſtim, ac direptum, atque Alfonſi juſſu incenſum eſt. *Jovinian. Pontan. l.3. bell. Neapolitani.*

Nicolaus, Henrici Ferrei Holſatiæ Comitis frater, domi ſedens dum ille peregrè militat, arces, quas in Jutia tenebat, cuidam ejus gentis Militi (Calf lingua Danica dicto) commiſit: Cùm ille ſe Comiti ſacramentis obligaſſet, ſe duas arces, quas tenebat, bona fide ſervaturum. Comes plurimùm illi habens fidei, tertiam quoque commendavit. Sed cùm interim Rex Danorum Valpemarus ætate procederet, convaleſceretque, arces regni paulatim tentavit recipere, jure, an injuria, parum penſitans. Tentatus à Rege miles Calf, facilè tranſivit à Comite ad Regem, oblitus decoris, & jurisjurandi. Cujus factum ipſe Rex dignum riſu putavit, dicens circumſtantibus, Bonus vitulus bovi comparandus: cùm duabus arcibus abibat, una auctior revertitur. *Crantz. l. 9. Saxoniæ c.25.*

Chriſtianæ Salutis ann. 1499. Septembri menſe, Bernardinus Curtius, obſcuris ortus parentibus, cum duobus fratribus à Sforcianis principibus in aulam acceptus, ad ſummas opes, ſummoſque honores à Ludovico Sforcia evectus erat. Quem cum conjugio, multis præfecturis, ac ſenatorio demùm honore Ludovicus auxiſſet, ornaſſetque, Jovis inſuper arci, non Mediolanenſis tantùm urbis, ſed Italiæ totius propugnaculo præfecit, quo tempore Amiſſa Alexandria Ludovici XII. Gallorũ Regis copiæ imminebant, impoſito duorum millium armatorum præſidio, tantis commeatibus, ut in biennium ali præſidium poſſet, tanta pecunia, argentoque, ut in par tempus ſtipendium ſufficeret. Cùm præterea omnia etiam adhibuiſſet, quibus ſaucii, ægrique in magna, & pacata urbe commodiùs curari nequeant: & tormentorum, omniumque armorum tanta vis ineſſet, quanta toti urbi, nedum arci, ſuffectura videretur. Et tamen arcem illam munitiſſimam, in qua adversùs totius Europæ vires, & arma nihil præter præfecti fidem, atque virtutem deſiderari poterat (non populo modò Mediolanenſi, verùm Gallico quoquo toto exercitu, ob perfidiæ magnitudinem admiratione capto) Bernardinus, cùm Ludovicus in Germaniam ad excipiendum Maximilianum abiiſſet, intra quartum decimum diem, nulla vi ab hoſte tentatus, Ludovici Regis Duci Trivultio prodidit, auri libris ducenties quinquagies numeratis, conceſſaque Ludovici, & Galeacii ſupellectile ſanè regia, quæ in ea erat. Ita Ludovicus Dux, cui fides à ſeſe data, rata, atque ſancta nunquam fuiſſet, neminem habuit ſuorum, qui ei fidem, quam dederat, cùm id facere nullo negotio poſſet, tam duro ejus tempore pauculos modò dies præſtaret. *Fulg. l.9.c.6. & Bembus l.4. hiſt. Ven.*

REGES.

Amphares, Demochares, & Arceſilaus Spartani, proditores Agidis. ☞ *Tide Tit. Libertati aliorum aſtutè inſidiari.*

Equites Mithridatis filias Pompejo produnt. ☞ *Vide Tit. Cladis bellicæ tolerantia.*

Perſeus Macedoniæ Rex Samothraciæ obſeſſus à Cn. Octavio, cum Oorande Cretenſe, cui theſaurum ſuum commiſerat, ſummo mane navi abiturus; ex anguſta feneſtra cum uxore, & liberis ſe dimiſit ad mare. Ibi cùm Oorandem jam vela feciſſe conſpiceret, omni ſpe deſtitutus, confugit ad murum, non jam tectus: verùm prævenit tamen cum uxore Romanos. Liberos ipſe tradidit in manus Joni, qui pridem fuerat ei in deliciis: tum verò proditor ejus, in cauſa potiſſimùm fuit, cur Perſeus compelleretur, ut fera, captis natis in manibus venire, & permittere corpus Romanis, qui liberos tenebant. *Plut. in Æmil.*

Maximus gemino prælio victus à Theodoſio Magno, & Aquileiæ obſeſſus, infirmitatem ſuarum virium contemplatus, propter inſtantis periculi magnitudinem propè de poteſtate deceſſit. Quod ubi Milites animadverterunt, ut ante urbis expugnationem ſibi conſulerent, ipſum pecuniam exercitui partientem comprehenderunt, ac regiis inſignibus nudatum, & vinctum ad Theodoſium perduxerunt. Maximus, ut inquit D. Ambroſius, deſtitutus eſt à ſuis, quòd ante ipſos expeditionis dies, cùm audiſſet Romȩ ſynagogam incenſam, edictum ſtatim eò miſerat, quaſi vindex publicæ diſciplinæ: cùm dicerent, Rex iſte Judæus factus eſt, atque idcircò Sciſciæ, & Pætovioniæ, atque ubique terrarum victus eſt. *Sigon. l.9. Imp. occid.*

Selymus Turcorum Imp. Aladolum Regem, montanis regionibus in Tauro, & Antitauro imperantem, proditione Saxovarogli equitum præfecti vicit, cujus Pater olim ob affectatum regnum ab Aladolo fuerat interfectus. *Sab. ſupplementum lib.7. & 8. ex Jovio.*

SOCIOS.

Bello Judaico, Giſcala Galileæ oppido à Tito exciſo, Joannes Dux Hieroſolymam confugit, & factioni Zelotarum clàm favens, ſimulabat tamen ſeſe Pontificum, & plebis ſtudioſum eſſe. Itaque omnia optimatum conſilia Zelotis indicavit, iiſque plebem prodidit, ut multa millia, in auxilium accerſitis Idumæis, è populo, & nobilibus ceciderint. *Joſephus lib.4. Judaici belli.*

EXULES.

Piſidæ ſenes Alcetam produnt Antigono. ☞ *Vide Tit. Fidei erga confœderatos.*

Ceilani Davidem, à quo contra Palæſtinos defenſi fuerant, Saulo Regi tradidiſſent, niſi divino monitus oraculo aufugiſſet: ſimiliter, & Ziphæi Saulo indicarunt latere apud ſe Davidem, ſeque eum comprehenſuros promiſerunt. Sed divina opera David evaſit. *1. Reg.23. & 26.*

Sub Leone III. ſuaſu Nicetæ Xylinitis magiſtri militiæ, Arthemius à Theodoſio III. ab Imperio dejectus, & monachus factus, cum magnis Bulgarorum copiis venit, Byzantium occupaturus, arbitratus à populo benignè ſe ſuſcipi. Sed cùm hæc res ex ſententia non ſucceſſiſſet, Bulgari magna accepta à Leone pecuniarum copia, Arthemium Leoni tradiderunt: indeque re infecta domum reverſi ſunt, Arthemius cum Xylinite occiditur: omniſque Xylinitæ facultas, quæ magna erat, publicatur. *Cuſp. A. D.*

SUPPLICES.

Bello contra Carolum Ducem Burgundionum ſuſcepto, cùm Ludovicus Lucemburgenſis, Magiſter equitum, & Regi Fran-

Francorum Ludovico XI. & Carolo hoſti ſimulata amicitia ſuſpectus eſſet, convenit, ut uter eorum prior illum in poteſtatem redigeret, vel intra octavum diem ſupplicium de eo ſumeret, vel puniendum alteri traderet. Ille neutris ſe credere audens, quo tutior, munitiorque eſſet, Fanum Quintini occupat, dejecto Regio Præfecto, fideliſſimoque ſibi milite firmat. Rex veritus, ne ex profeſſo hoſtis factus, ac duci reconciliatus, eum oppidis, arcibuſque, quæ munitiſſima à patre habebat, reciperet, quacunque ratione reconciliare ſibi ſtatuit. Sed quando utrique ex æquo ſuſpectus erat, clàm cum Burgundo fædus repetivit, ut caput Regi, bona cum Quintiniana arce, quam Lucemburgenſis aſtu Regi eripuerat, duci cederent: uter eo priùs potiretur, is intra octavum diem vel alteri traderet, vel ipſe ſupplicium ſumeret. Ab amicis, à militibus, ab omnibus propè deſertus, variis conſiliis agitabatur, quonam ſe reciperet? ubi conſiſteret? propinqua ſibi hoſtilia, externa imperia longo intervallo dirempta. Arces ſe tutas, & inexpugnabiles habere, quo præſidio eas firmaret: ducis ira placabilior viſa. Proinde fide ab eo, perfidos viros, quos pauciſſimos ſibi reliquos adverſæ res fecerant, accepta, in Annoniam ſe recipit ad ducis Præfectos. Inſtabat tunc per oratores Rex, ut quando magiſtrum equitum in poteſtate haberet, eum, ut convenerat, vel dederat, vel ſecuri feriret. Simul ei à ſuis nunciabatur, delectiſſimum regium equitatum proximis in finibus in Campania eſſe. Veritus ergo, ne ſi id denegaret regi, ab eo prohiberetur à Nancio recipiendo, ſcribit in Annoniam, ut certa circumacta die Magiſtrum equitum regiis tradant: regi in præſentia ſatisfaciens, & ſperans intereà potiturum ſe Nancio, ac tum ſibi liberiora conſilia fore. Jam præſtituta dies exierat, cùm jam magiſtro equitum tradito, tribus poſt literæ allatæ ſunt jam de deditione à Nanciatibus facta, ne vir dederetur. Tam levi momento ſalus, peſtiſque ſummorum ſæpe hominum pendet. De viro Lutetiæ ſumptum publicè ſupplicium: nec quicquam poſthac proſperè duci ceſſit. *Æmil. lib.* 10.

Socerum.

Boccus Maurorum Rex, Jugurtham Numidiæ Regem vel ſocerum vel generum ſuum L. Syllæ, qui Quæſtor erat. M. Marii Coſſ. tradidit, cùm diù anceps fuiſſet, Syllamne Jugurthæ, an Ingurtham Syllæ traderet. Sylla vinctum ad Marium adduxit. Unde nefaria illa diſcordia inter ambos orta eſt, quæ rem Romanam peſſimo exemplo ad internecionem perduxit: hinc Sylla Jugurthæ capti ad ſe laudem trahente, contra Mario prædicante, quæcunque Sylla, & alii in Numidia geſſiſſent, iis auſpiciis geri contigiſſe, totamque proinde laudem ſuam, non Quæſtoris eſſe, qui ſuo juſſu ad Bocchum profectus fuiſſet. *Sab. lib.* 2. *En.* 6.

Alumnos.

Mahometes II. Turcarum Rex Muſtapham F. Aliazi pocillatori educandum commiſerat. Eum mortuo patre Amurathi prodidit Niceæ. Amurathes fratrem Muſtapham nervo arcus ſuffocavit. *Chalcocondylas lib.* 5.

Consilia Arcana.

Dalila Samſonis mariti arcana Philiſthæis revelavit. *Judic.* 14. *&* 16. *cap.*....

Tantalus Jovis filius, divitiis, & gloria inſignis, in ea Aſiæ parte, quam nunc Paphlagoniam vocant, habitavit, plurimùm diis ob generis claritatem carus. Poſtmodum felicitatem ſuam inſolenter ferens, immortalium ſecreta, quæ menſæ communione uſuque deorum noverat, palàm protulit hominibus. Qua ex cauſa, & vivus pœnam tulit, regno pulſus ab Ilo Trois F. & poſt obitum, ſecundùm fabulas, tormentis apud inferos inter ſceleſtos perpetuis ponitur. Ex eo Pelops, & Niobe orti ſunt. *Diod. lib.* 4. *cap.* 11. *Ovidius.*

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.

Pallenæi, odio Lei Agnuſii proditoris, qui conſpirationem eorum adverſus Theſeum ipſi patefecerat, nomen λεὼ ita oderunt, ut ſe λεὼν dici noluerint. *Plut. in Theſeo.*

Carthaginenſes poſt cladem Himilcone Duce ex peſtilentia acceptam, reparatis viribus Siciliam Hannonis ductu petiverunt. De quo hoſtium apparatu cùm Dionyſius, præter rumores, Suniatoris viri Aphri literis fieret certior (erat is Hannonis inimicus, longè alioqui opibus inter Pœnos præpotens) codicillos, quos ille ad Dionyſium dederat, deprehenſos Hanno Carthaginem miſit. Quibus publicè recitatis, Suniator capite damnatus, cautumque lege eſt, ne Pœnorum quiſquam Græcas deinceps literas diſceret, nec cum hoſte quidem ſine arbitro loqueretur. *Sab. lib.* 9. *En.* 3.

Cùm datis in Atticam impreſſionem feciſſet Joannes, ajunt, eo digreſſo, conſcenſis arboribus, ſignificaſſe Athenienſibus equites non adeſſe: & Miltiadem, intellecto diſceſſu eorum confluxiſſe, ac viciſſe. Unde & proverbium, χωρὶς ἱππεῖς, dictum in eos, qui aciem diſſolvant. *Suid. in voce* χωρὶς.

Joſephus Herodis Regis patruus, relictus ab eo cuſtos uxoris Mariamnes, cùm ad Heropis amorem commendandum ſecretò ſibi ab eo Romam abeunte commiſſum diceret, ut ſi quid ſibi humanitùs contigiſſet, Mariamnen interficeret, ne ullus alius tam præclara forma potiretur, & id Herodi reverſo Mariamne exprobraſſet: Herodes jam antè ſuſpectum habens Joſephum, tanquam in manifeſto deprehenſum adulterio interfici curavit. *Joſeph. lib.* 17. *cap.* 7. *Ant.* Quemadmodum idem poſt Sohemum cuſtodem corporis, quòd is ipſi Mariamne illud idem ab eo ſibi mandatum fuiſſe dixiſſet, utpotè de adulterio ſuſpectum ſtatim interfici juſſit, licèt inſontem: ipſam verò reginam veneficii accuſatam ad ſupplicium duci imperavit. *Joſeph. lib.* 15. *cap.* 11. *Antiq.*

Fulvius Cæſaris Auguſti amicus, annis jam gravem deplorantem audiverat orbitatem ſuam, & quòd duobus nepotibus amiſſis. Poſthumio, qui unus reliquus erat, ex calumnia exule, uxoris filium adoptare imperii ſucceſſorem cogeretur: itaque miſericordia ductus, Poſthumii ab exilio revocandi conſilium caperet: aperuit id uxori ſuæ, illa Liviæ. Livia expoſtulavit cum Cæſare acriter: quòd qui jampridem id ſtatuiſſet, non accerſeret nepotem, ſed oſtenſionem, & bellum cum ſucceſſore imperii ſibi concitaret. Fulvius cùm more ſuo eum manè accederet, diceretque, Salve Cæſar: tum ille, Vale, inquit, Fulvi. Ille percipiens id, quod erat, contulit extemplò ſe domum, accitaque uxore: Reſcivit, inquit, Cæſar me arcanum illud detexiſſe, ideò conciliabo mihi ipſe mortem. Meritò, inquit mulier: qui cùm tam diù matrimonium tenueris meum, non perſpectam, & ſuſpectam habueris incontinentiam meam. Verùm ſine me priorem emori, arreptoque pugione ante viri lethum trajecit ſe. *Plut. de Garrulitate.*

Cinna Gothorum Rex, octoginta millibus armatorum Enteſiam urbem oppugnabat, quam monumentum victoriæ ſuæ Trajanus erexerat, captam à gente Sarmatarum: Eò Imperator Decius cum exercitu contendit. Cinna ſtatim retroceſſit, contenditque in Thraciam, Philippopolim opulentam civitatem expugnaturus. Decius veſtigia ejus illicò legit: ſecutus in Thraciam, ad radicem Hæmi montis quievit. At priùs Gothi expugnavere urbem, quàm poſſet Imper. ferre auxilium: expugnatamque militibus conceſsere diripiendam. Locupletati inde Gothi erexere animos, auſi in aciem ſe opponere Romanis exercitibus. Victor autem in primis congreſſibus Decius, hoſtes in anguſtias locorum, quæ in Dardaniis ſunt, compulit, & obſedit: expugnaſſetque fame, ni proditus à ſuis fuiſſet. Gothorum Dux per legatum dicitur poſtulaſſe, ut omnium præda relicta, ſineretur abire cum ſuis trans Iſtrum. Roman. Imper. negavit avidus illos perdendi, quia toties fractis fœderibus irruperant. Jamque ferè voti compos, Trebonianum Gallum, Ducem limitis Mœſiæ, ad obſidendos aditus, ne fugerent, cum bona parte copiarum miſit. Ille conſilium Gothis patefecit: eoſque monuit, ut ſe dividerent, & alii conſiſterent in inſidiis prope paludem, alii in primo congreſſu fugam ſimularent paludem verſùs, ut Romanum militem pertraherent in inſidias. Gothi nonnihil addentes Galli conſilio, rem peragunt. Cùm in pugnam deſcenderent, admiratus Imperator novam fiduciam, quòd qui modò perculſi metu erant, arma poſcerent, ignaruſque proditionis, certus victoriæ, copias educit. Illi ſtatim terga dant: Imperator inſequitur. Cùm perventum eſt ad inſidias, fit atrociſſima pugna, utrimque cædes magnæ. Decius pater cum filio occubuere. Senior fortè equo inſidens, ne vivus in hoſtium veniret manus, in voraginem inſiliit, poſt cadaver ejus nuſquam repertum eſt. Sed Jordanes aliquanto rem diverſius narrat, Decium cupientem Philippopoli ferre opem, citò petiiſſe Berceam: & inde fugatū à Cinna, reparatiſq; in Mœſia viribus, rediiſſe ad hoſtes, qui Philippopolim ceperant, & Priſcum ducē ſibi conciliaverant. Ita ipſo congreſſu ictū ſagitta Deciū filiū occubuiſſe: & patrē, vel ut filii cędem ulciſceretur, vel ut morte ſua finē dolori inveniret, in fortiſſimos ſe immiſiſſe hoſtes, & nuſquam apparuiſſe: ſed diis ſuis ante cōgreſſum immolaſſe, ad Arbitrū Mœſiæ urbē. Inde factū loco nomen, ut Ara Decii appelletur. *Crantz. l.* 2 *Sveciæ c.* 7.

Ludo

Ludovicus Lucemburgenſis, magiſter equitum, à Ludovico, XI. Gallorum rege ad Carolum Burgundum hoſtem inclinabat. Rex quavis ratione illum reconciliaturus, cum Burgundo clàm fœdus icerat. Uter illum prior in poteſtatem redigeret, intra octiduum, vel ſupplicio afficeret, vel alteri traderet. Intereà Rex Francus ad illum mittebat lætos in ſpeciem nuncios, multis etiam de rebus per ſimulationem conſulens. Viciſſim & ille ex ſuis fidos mittebat, illud maximè captans, ut ſi quid proſperè Francis eveniret, id ſe adnitente factum videretur. In primis miſit Ludovicum Crevillanum. Is cùm quæ acceperat mandata, his, quibus juſſit Rex, expoſuiſſet, tunc rex certiſſimos ducis amicos loco prætentis aulæis occulto abdidit. Pro aulæis palàm ſedens introduci Ludovicum juſſit, ac eum ſibi ipſi eadem mandata exponere. Homo inſidiarum ignarus dicit, agente per internuncios Magiſtro equitum, propè à ſocietate Anglicana ducem disjunctum, eaque indignatione concitatum, ut terram pede pulſans, Eduardum neget regio ſanguine, pectoreve eſſe: eum eſſe adulterio procreatum: gregariique militis nomine appellaret, quem patrem diceret. Hæc Ludovicus dicens, geſtum irati ducis agebat: vultum quoque, ac vocem notam regi effingebat, tam ſcitè, ut in ſcena rem agi diceres: rexque ſe jam ſurdaſtrum dictitans, revocaret, ac repeti juberet, quò res teſtatior auribus amicorum ducis, ac per eos duci foret. Magiſter equitum miſerat ad Regem renunciari ſibi per multos eſſe, qui falſis ſuſpicionibus infamem ſe facere conarentur, ſed reipſa oſtendiſſe, ſe falſa invidia laborare, quòd in tanta rerum, temporumque varietate, quæ oppida tutanda accepiſſet, ea invicta ſervaſſet, atque inde hoſtem repuliſſet. Rex conſtantiam, virtutemque viri fando extulit, renunciarique juſſit, in conſiliis capiendis tali capite opus eſſe. Nuncius dictum non quo animo proferebatur interpretatus, lætus dimittitur. Rex ad amicos fidos verſus, ſubmiſſiore voce. Opus mihi eſt, inquit, hominis capite, ſed ita, ut hìc caput, illic truncus jaceat. Tandem cùm Lucemburgenſis Caroli fidei ſeſe commiſiſſet, ab illo deditus Regi, Lutetiæ capitali ſupplicio affectus eſt. *Æmil. lib.* 10.

Selimus, Turcarum Rex, Ægyptium Sultanum Tomumbejum everſurus Matharea, ubi balſamum naſcitur, ab Alcairo circiter quinque milliariis diſtantem pervenit: quem locum Tomumbejus æreis machinis, foſſis, & apertis, & occultis, maximiſque propugnaculis, ne pateret hoſti tranſitus, munierat, ibique caſtrametatus milites ſub papilionibus eſſe juſſerat. Cæterùm cùm Turcicus exercitus illuc appropinquaſſet, duo Mamaluchi ex Albania oriundi, meliorem fortunam quæſituri, è caſtris ad Turcas ipſos transfugere, Tomumbeiique conſilia Sinamo conterraneo ſuo (nam Circaſſi erant) manifeſtantes, loca oſtenderunt, ubi foſſæ cratibus canneis coopertæ, quæ præcipites exciperent equos, latitabant. Ad hæc ubi, & quomodo æreæ machinæ diſpoſitæ eſſent, indicaverunt. Id quod proculdubio in cauſa fuit, ut poſteà Selimus victoria potitus ſit: magno enim circuitu ad ſiniſtram arrepto itinere, præparatas inſidias evitavit. *Jovius in Selimi vita.*

Petrus Medices, Florentinus princeps, cùm apud ſe Stephanus Tabernius, qui pro Ludovico Sforcia Mediolanenſium principe legationis munere fungebatur, ſecretiore in cubiculo de magnis rebus diſputaret, Joannem Mattaronium Caroli VIII. apud Medicem legatum turpi quadam, aut certè parum virili aſtutia ſub aulæis condidit, ut illo audiente arcana omnia, Sforciamque animi receſſus, quæ Tabernius ignarus fraudis ingenuè proferebat, Regi Gallo proderentur. Quæ res Ludovico apud Carolum incertæ voluntatis, vel perfidiæ ignominiam conflavit. *Jovius lib.* 1. *Hiſt.*

Gallica, & Cæſarea factio inter Venetos patricios, ultra quàm libertas patriæ fineret, tam altas egerat radices, quo tempore calamitoſum illud cum Solymanno bellum geſſere, ut cuncta Senatus decreta inexorabili anteà ſilentio religiosè cuſtodita, non modò ad præſentes legatos Cæſaris, & Galli, ſed in provincias quoque literis emanarent. Erant ex ordine Rogatorum, qui dicerent ſententiam, & in ſuffragium irent homines fermè ducenti. Hac multitudine offenſus Marcus Foſcarus Senator prudentiſs. ad quinquaginta viros, qui uſu rerum, fide, charitateque patriæ probarentur, graviſſimi, atque maximè arcani conſilii ſummam revocabat. Ita rebatur multorum inſaniam paucorum ſapientia ſuperari. Sed tanta mox Foſcarus invidia deflagravit apud multitudinem, cùm ea ſe conſiliis excludi, notarique infamia levitatis, atque imperitiæ minimè pateretur, ut vir ille inter ſummos Senatores facilè excellens, Rogatorum ordine ſit ejectus. Verùm ei non multò poſt, quod divinè, & ſapientiſſimè providiſſet, magnæ gloriæ ceſſit, detectis his, qui Reipublicæ arcana prodiderant, non Chriſtianis modò, ſed & per illos ipſi Solymano. Hi fuere patricii ordinis Maphæus Leonius, & Conſtantinus Cobarius, decemviralis collegii ſcriba. Reliqui autem complices cum Franciſco Valerio, qui patricio patre ex damnato coitu genitus, perfidioſæ largitionis miniſter, & interpres extiterat, laquei pœnam inter geminas columnas in foro tulerunt, cùm paulò ante Leonius, atque Cobatius in Galliam perfugiſſent, Aloyſio Badoerio legato ad Solymannum injunctum erat, daret operam cunctis ingenii artibus, largiendoque præſertim, ut Nauplium, & Epidaurus Veneto nomini ſervarentur. Quòd ſi id impetrare nequiret, neceſſitati daret, manus, & quavis conditione pacem conficeret: eam enim decemviri è Republica fore exiſtimabant, ſecretoque de deditione urbium in mandatis adſcripſerant. Quod tamen ipſum cùm per Gallicum legatum, ut quidam ſuſpicantur, Solymannus reſciviſſet, cùm Badoerius apud Byzantium, impetrandæ pacis gratia certam pecuniam urbium loco polliceretur, tyrannus eum tanquam impudentem minaciter objurgavit, ac non aliter ſe daturum pacem, quàm acceptis urbibus teſtatus eſt: quoniam de decemvirali decreto certior factus, ejus rei tranſigendæ poteſtatem legato datam eſſe ex literis oſtenderet. Badoerius pudore redargutus, perfuſuſque non dubio mortis metu, ubi arcana mandatorum Solymanno, & purpuratis detecta eſſe conſpexit, in eas conditiones pacem accipere coactus eſt, quæ Nauplio, atque Epidauro traditis ſancirentur. Poſtquam de tam iniqua tranſactione Venetiis eſt reſcitum, Badoerius atroci invidia deflagravit, uſque adeò in ejus nomen aſperè concitato populo, ut vix demum detecta Cobatii perfidia, quin exilio, & bonis, vel inſons mulctaretur ægerrimè ſervatus ſit. *Sabell. Suppl. lib.* 23. *ex Jovio.*

Cùm Memphi pulſus Tomumbejus, ex Ægypto extrema novum exercitum comparaſſet, ſecurum Selimum Turcorum Imper. oppreſſiſſet, niſi Albuchomar Ægyptius potentiſſimos ejus conatus detexiſſet. *Idem lib.* 7. *&* 8. *ex Eodem.*

Thesauros, Pecuniam.

Simon Benjamites, templi Hieroſolymitani theſaurarius, Oniæ Pontificis Optimi, qui licentiam, quæ vellet perpetrandi, ei non concederet, aſper, & atrox æmulus, ſecreta omnia Seleuco Philopatori Syriæ Regi enunciat, & templum opulentiſſimum, quantum in ſe erat, ſpoliandum tradit: eſtque, nec ſurdo locutus, neque ſegnem exſtimulavit ad rapinam. Miſſo enim quæſtore ſuo Heliodoro, theſauros rex mandat aſportandos, & de Simonis ſtudio, atque ope, ſuum quæſtorem edocet. Cùm Heliodorus miraculosè eſſet de cælo verberatus: proditor ille Oniæ fallacia, & præſtigiis id eveniſſe calumniabatur, virumque ſanctum, ut inſidiatorem, & magum regi traducebat: nullo videlicet facto notus memorabili, niſi flagitiis, & perfidia. In tumultu publico Hieroſolymis oppetiit. 2. *Machab.* 3.

Branchidæ, Didymis in agro Mileſio habitantes, in gratiam Xerxis, fanum Apollinis ejus loci Barbaris prodiderunt. Itaque donaria penè infinita ſunt direpta. Sed veriti proditores Legum, & Magiſtratuum ultionem, mercedem turpiſſimæ illius proditionis petunt, ut in quandam Aſiæ regionem transferantur. Is verò pro iis, quæ malè, & impiè tenebat, conceſſit, ut in eo loco habitarent, unde nunquam in Græciam redituri eſſent, quò timore illo, & ipſi, & genus eorum levarentur. Cæterùm malis auſpiciis ſortiti locum, urbem condunt, ac Branchidas appellant, non Mileſios tantùm, ſed ipſam juſtitiam ſe effugiſſe rati. Sed non dormitavit Dei providentia: nam Alexander, Dario victo, Perſico regno potitus, cognito facinore, & familiæ illius propagationem peroſus, omnes interfecit, improbos judicans improborum poſteros, ac falſi nominis urbem evertit, atque delevit. *Suidas.*

Eurybatum ſcribit Echorus, Epheſium fuiſſe, qui acceptam à Crœſo pecuniam ad conducendum militem adverſùs Perſas-Cyro tradiderit. Hinc Eurybatas, improbos, & proditores dicit. *Idem.*

Quomodo prodere
* Prætextu Amicitiæ.

Sic Joab Abner ſpecie amicitiæ revocatum, dolo circumvenit, & occidit, *lib.* 2. *Reg. cap.* 3.

Vu Idem

Idem Joab Amaſiam ſalutans, manu dextra mentum ipſius tenuit, & quaſi eum oſculans, gladio occultè trucidavit. *Ibid. cap.* 20.

Babylonii circumventi à Zopyro, qui ſe fingebat à Dario naribus, & auribus truncatum, ac plagis affectum, in Darii poteſtatem venerunt. *Herodot. lib.* 3. *& Polyænus lib.*7. *Stratagem.*

Defectione, Fuga.

Baſiliſcus frater Berinæ Auguſtæ Leonis I. uxoris navali prælio Carthaginem ſæpè aggrediens poſt conflictum, cupiditate, & avaritia corruptus, pecuniis eam vendidit Vandalorum Regi Genſerico. Videns enim Rex Baſiliſci indulgentiam, tarditatem, atque ignaviam, primum ſubditos ſuos omnes velociter cum navibus, quibus poteſt, armat: partim viris vacuas mittit, ut repentè adnavigantes cum inſtrumentis, ac munitionibus ſint præſtò parati. Interim ad ipſum legatos mittit, ac inducias quinque dierum ad deliberandum petit, Imperatori an ſe dedere, an manus debeat conſerere. Miſſo quoque ingenti auri pondere, animum avari ducis flectit: qui hanc nactus opportunitatem, cùm dies inſtaret conflictus, prætoriam triremem vertit: & cùm à puppi oppugnaretur, fugam arripuit, & cùm paucis evaſit, relictis, qui prælio navali occubuerunt. *Cuſp. A.D.*

Cùm Guido Luſitanus, morte Balduini V. privigni ſui, ad regnum Hieroſolymitanum perveniſſet: æmulatione, ac cenſus Raymundus Tripolitanus Comes, Saladini Ægyptii opem imploravit. Poſteaquam verò aperta vi ſe imparem eſſe vidit, dolorem tentat, regique reconciliatur. Contra eum ob deſertum fœdus movet Saladinus, & Tiberiadem obſidet, Raymundus Guidonis auxilium poſcit. Commiſſo prælio, Raymundi proditione, & turpi fuga ex acie, Chriſtiani miſerè cæſi, rex captus. Saladinus victoriam perſequens, Hieroſolymam regni caput anno 1187. capit. Intereà Raymundus nocte quadam mortuus in cubili inventus eſt, & quidem circumciſus: quod apoſtaſiæ certiſſimum fuit argumentum. Sic Hieroſolyma ambitione, & proditione Tripolitani in Barbarorum manus rediit, octogeſimonono anno poſtquam iis adempta fuerat. *Vincentius lib.*29. *cap.*43. *& Tyrius.*

Friderico Miſniæ Marchione in Norimbergenſi conventu abſente, Huſſitarum incurſiones metuens uxor ejus, collecto undequaque exercitu, præfecit ei Buſſionem Vicedominum. Is in Boemiam ducens, hoſtes ad pugnam provocavit, ſed ab initio ſtatim fugæ ſe mandans, victoriam hoſtibus reliquit. Cæſa feruntur duodecim millia eo die, cæteris turpi fuga elapſis. Ferunt, eum conſultò prodidiſſe exercitum, ut ſe vindicaret de Principe Friderico, à quo nuper germanum ſuum, proditionis reum, capite damnatum meminerat. *Crantzius l.*11. *Vandaliæ cap.*7.

Milota Moraviæ Capitaneus, pecunia corruptus à Rodolpho I. Imperatore contra Othocarum Boemorum Regem ad oppidum Moraviæ Lavam pugnante, cùm Polonorum equitatui ab Othocaro præfectus eſſet, initium fugæ fecit. Eo prælio cæſus Othocarus. Milotæ ſummus in Moravia magiſtratus præmii loco, additis benè multis poſſeſſionibus, ad arbitrium voluntatemque ipſius prorogatus. Donatus, & Polonus oppido Glatio, cum tota ejus ditione. Sed quantò majora præmia proditionis erant, tantò major infamia eminebat, & apparebat. *Dubravius lib.*17.

In eo prælio, quo Joannes Baliolus Scotorum Rex ab Eduardo I. victus eſt, tradunt quidam, Robertum Bruſium, Joannis in regno olim competitorem, ab Anglio aſtutè perſuaſum, ſeceſſionem neceſſariis ſuis, qui cum Scotis erant, imperitaſſe. Qua re territi reliqui Scoti, videntes ſe à ſuis proditos, fugæ initium fecere, ubi veluti pecora omnes abjectis armis mactandos ſe, jugulandoſque præbuere. Mox cùm Robertus præmium proditionis ab Eduardo regnum Scotiæ poſtularet (ignorans proditores dum uſui eſſe poſſunt, benignè ab hoſtibus excipi: verùm ubi quod potuere perfecerunt, etiam illis in quorum gratiam ea fecere, execrandos, ac deteſtandos haberi.) Credis fortaſſe, inquit ille, non habere nos, quod agamus aliud, niſi ut vobis regna ſemper ſubjugemus. Fraudem igitur Regis Robertus intelligens, triſtis admodum in Angliam in prædia ſua abiit. Poſt ubi dejecto Joanne Eduardus Scotiam ſubegit, hinc ad Gallicum bellum profectus eſt, Scoti rebellavere, duce Vvalla. Victi aliquoties Angli. Tandem ambitioſa contentione inter proceres orta. Eduardus occaſione accepta, ſigna infert. Robertus ſub Eduardo militans, Scotos à tergo invadit, bis popularium ſuorum vel proditor, vel deſertor. *H. Boeth. lib.*14.

Selimus Turcorum Imperator Campſonem Sultanum Ægyptium ad Alepum Syriæ ingenti prælio ſuperatum interfecit: cùm in medio pugnæ ardore Cayorbejus Alepi præfectus, ut Campſonem ſibi infeſtum hac ratione ulciſceretur, ad hoſtes defeciſſet. *Sab. Supplem. lib.*7. *&* 8. *ex Jovio.*

Calatiæ Comes Joannes Franciſcus Sanſeverinus à Ludovico Sforcia, cùm Galliæ Regis Ludovici XII. armis graviter vexaretur, Papiam, ut Galeacio fratri ad Alexandriæ, Inſubriæ oppidi, defenſionem, jungeretur, ire juſſus: Galeacium minorem natu fratrem, militari quoque exercitatione inferiorem, in exercitus imperio, omnibuſque honoribus, & gratia ſibi anteponi indignatus, innumerorum à ſe fratribus beneficiorum à Ludovico acceptorum memoriam ira ſuperante, clàm cum Galliæ Rege convenerat. Aliqui hujus fraudis nuncium, aliquot menſes ante ad Ludovici aures perveniſſe aſſerunt. Quo audito, cùm aliquandiù tacitus, cogitabunduſque fuiſſet: tandem cum gemitu ei, qui id ſignificaverat, non poſſe ſibi tam ingrati animi facinus perſuadere reſpondit: quod ſi tamen verum eſſet, quanam ratione cavendum eſſet, ſi vel ab intimis, pluribuſque beneficiis affectis proderetur, cui ampliùs fidere poſſet, ignorare: ſe non minorem, minuſve pernicioſam calamitatem exiſtimare, vana ſuſpicione ſe fidorum hominum opera privare, quam incauta crudelitate illorum ſe fidei committere, qui ſuſpecti eſſe debebant. Ergo dum Calatinus pontem ad Padum, ut fratri conjungatur, facit, & rem artificioſè protrahit, cùm Galli jam biduum circa Alexandriam fuiſſent, eamque tormentis percuterent: Galeacius cum Lucio Malvecio communicato, levis armaturæ equitum parte comitatus, clàm Alexandria diffugit. Cognito Galeacii diſceſſu, reliquæ copiæ omnes, quæ Alexandriæ erant, illicò, aut in fugam ſe coniicere, aut latebras quærere cœperunt. Qua occaſione Gallicus exercitus ſub Solis ortum ingreſſus, non modò milites, qui reliqui erant, ſpoliavit, ſed militari licentia totam urbem diripuit. Fama eſt, Galeacium literas cum Ludovici Sforciæ homine ſcriptas, ac ejuſdem ſigno obſignatas, quibus quoniam motus aliquis Mediolani eſſet exortus, quam citiſſimè cum omnibus copiis eò advolaret imperabatur, accepiſſe: & aliqui poſteà à Calatino, ut hac arte Gallis victoriam faciliorem redderet conſcriptas ſuſpicati ſunt: quas deinde Galeacius quaſi illis literis, non ut exercitum incolumem, idque ſi effici poſſe animadverteret, adduceret, ſed ut temerè eum deſereret, injunctum fuiſſe, ad defenſionem ſuam oſtendere ſolebat. Quam perfidiam ſuam Calatinus colore aliquo, ut tegeret, Ludovico, fuga ſibi conſulturo Germaniam verſus contendenti, obviàm factus dixit: poſtquam ipſe imperium ſuum deſerebat, ſe ipſius militari ſacramento liberatum, ſuique ad quamvis conditionem arripiendam juris eſſe exiſtimare: & repentè ſe nomine, & ſignis Galliæ Regis militem declaravit: & cum eadem turma, quam Ludovici ære compararat, conſervaratque, ad illius ſtipendia tranſivit. *Guicciard. lib.* 14.

Magnus Sforcia infelici eventu ad Viterbium cum Braccio Montonenſi ex amico hoſte acerrimo pugnavit, ſed deſertus, & proditus à Gilberto, & Nicolao Urſino, qui cum Braccio paucis ante diebus occulto fœdere icto, ubi occaſionem fortuna præbuiſſet, ſe Sforciam in acie deſerturos promiſerant: cujus ſceleris indices tabulas Nicolai ſubſcriptas manu Braccius in colloquio ad Saccomaniam ſylvam Sforciæ poſteà oſtendit, quo in gratiam redierunt. Pugnavere ſummi duces ſummis incenſi odiis, ſummiſque, vel ob id annexi viribus à meridie ad occaſum Solis: cùm nemo (teſte demum victore Braccio) è tantis copiis (quandoquidem ab octo millibus equitum pugnaretur) ipſo Sforcia, aut majore arte, aut vehementiore impetu, aut diuturniore conſtantia dimicaſſet. Cæterùm Sforciam fruſtra revocantem ſuos, ut in prælium redirent, lethale vulnus cervice acceptum tardavit, amiſſis ſubinde mille, & ſeptingentis equitibus. *Jovius in vita Sforciæ.*

Calecurienſis Rex Regem Cochimenſem ob fœdus cum Luſitanis initum bello petebat, Vincentium Soderium claſſi præfecerat Rex Luſitanorum Emmanuel, qui Arabum litora infeſtaret. Is cum claſſe Cochimum pervenerat. Cùm verò inde rurſus abire conſtitueret, Jacobus Fernandus Gorrea, qui fuerat Cochimi relictus, ut quod eſſet in rem Emmanuelis Regis adminiſtraret, illum obteſtatur, ne vellet eo tempore Regem amicum, propter Luſitanum nomen, & gratiam in tanto

periculo conſtitutum, deſerere: ea namque potiſſimùm de cauſa in illis partibus cum inſtructiſſima claſſe relictum fuiſſe, ut ab amicis inimicorum impetum propulſaret. At is reſpondit, illud ſibi negotium à Rege minimè datum fuiſſe: ſed ut cum navibus, quæ ex Arabia in Indiam navigarent, bellum gereret. Valuit plus apud Soderium, ſive timor, ſive prædæ ingentis ſpes, quàm fides, aut officium. Itaque profectus inde Solis occaſum versùs, anguſtias Arabici ſinus obſedit. In inſulas delatus, non procul ab aditu ſinus Arabici naves reficere inſtituit. Saraceni inſulas colebant, aratores, & à bellandi ſtudio nimis abhorrentes. Ii monent, ne diutiùs in eo loco morentur: nam initio menſis Maii omnes naves Septentrione vehementiſſimo ad littus jactari, & allidi, nullaque ratione exitium vitari poſſe, ſi tempus illud expectarent. Soderius monita contempſit: & cùm illi multis obteſtationibus uterentur, & reliqui etiam duces inſtarent, & dicerent, non eſſe negligendum conſilium, quod tam facili negotio ſuſcipi poſſet: Soderius tamen in inſtituta ſententia permanſit. Qua quidem pertinacia Petrus Raphael, & Fernandus Rodericus Badarcenſis, & Jacobus Petrejus, trium navium duces, offenſi, ab eo diſceſſerunt, & ſe in aliam inſulæ partem contulerunt. At Soderius in navi animo curis vacuo, atque ſoluto conſiſtebat, cùm ſubitò cohorta à Septentrione tempeſtas naves ad litus ejecit, & alliſit: tantique fluctus extiterunt, ut omnes fermè, qui in navibus erant, interirent, inter quos Vincentius Soderius, & Balaſius Soderius illius frater fluctibus obruti ſunt, & illorum cadavera in littus cum reliquis ejecta. Divino autem judicio factum exiſtimabatur, ut non modò Soderius eo genere mortis interiret, ſed ne particula quidem prædæ, quam ceperat, colligi poſſet. Fractis enim navibus, cùm funes, armamenta, mali, dolia, tabulæ, multæque res ejuſmodi fluctibus eiicerentur, non tamen aurum ex præda, nec aliquid, quod eſſet pretio dignum, neque arcæ, in quibus lautiſſima ſupellex aſſervabatur, unquam comparuerunt. Tres illi duces, qui vim tempeſtatis effugerant, ea ſedata, ad locum, unde fuerant à Soderio digreſſi, revertuntur. Omnium ſententia hæc fuit, Soderios fratres perfidiæ pœnas exſolviſſe. Idcircò nihil à ſe, nec ad numinis placationem ſanctius, nec ad nominis claritatem illuſtrius fieri poſſe, quàm naves in Indiam reducere, ut auxilium Trimumparæ, atque Luſitanis, qui cum eo manſerant, afferrent. *Oſorius lib.*3. *rerum Emman.*

Insidiis.

Egillus Gothorum rex, contra Danos tributa negantes exercitum conſcripſit, eique Danum quendam Thonnonem præfecit, qui anteà ex Dania ſub profugi titulo in Sveciam, deinde in regis militiam pervenerat. Erat enim eloquio blandus, obſequio promptus, converſatione ſupplex, atque in omnibus artibus, quibus Svetica ſimplicitas decipi poterat, inſtructiſſimus. Omundus Danorum rex re intellecta, unicè ſtuduit Thonnonem in ſuas partes pertrahere. Thonno maximis promiſſis ſollicitatus, totam Egilli familiam in caput proprii principis animavit. Jamque Egillus eiſdem domeſticis inſidiis ferè oppreſſus fuiſſet, niſi copiis tumultuariè comparatis præſentiſſima pericula avertiſſet. Itaque octo ſervilia bella à Thonnone contra Egillum geſta fuerunt, ſuppeditante ſemper Omundo Danorum rege recentes copias, & commeatum. Tandem Thonno, in nono bello cum univerſis copiis à rege Egillo ſuperatus, laqueo ſtrangulatur. *Jo. Magnus lib.*8. *c.*13.

Philippus Vicecomes ægrè ferens, Bononienſes cum Venetis, ac Florentinis ſentire, amicos quoſdam Baptiſtæ Cannedolæ ſuarum partium principis ſubornat, auxilium eis pollicitus, ut Hannibalem Bentivolum adverſæ factionis principem è medio tollant, quò principes ipſi cum ſua factione in civitate remaneant. Berotius ergo Cannedolus Bononienſem quendam ſubornat, cui tum caſu filius natus erat, ut Hannibalem in baptiſmate pueri compatrem ſibi deligat. Quo exorato, dat operam, ut ſequenti die infans ad ſacerdotem deferatur. Baptizato puero, Hannibalem pater ad ædem ſancti Joannis Baptiſtæ, cujus tum ſolenne erat, invitat. Obtemperat etiam ea in re proditori Hannibal, nullam fraudem ſubeſſe ratus. Qui dum in via eſſet, à conjuratis circumventus occiditur, reſiſtentibus aliquamdiù duobus famulis, caritate domini vim propulſare conantibus. At Bononienſis populus indignitate rei motus, ſumptis properè armis Cannedolæ factionis principes obtruncat: maximè verò Baptiſtam, cujus cadaver & per urbem tractum, & cùm magna ignominia ſepultum eſt. *Platina in Eugenio IV.*

Campobachius poſt mortem Nicolai Calabriæ ducis egenus, & exul, à Carolo Burgundo duce liberaliſſimè exceptus, & equitatui etiam Italico præfectus, beneficiorum immemor, cum Renato Lotharingo, & nonnullis ducibus, quos in Campania rex Ludovicus XI. habebat, conſilia communicavit, & Caroli, vel ex inſidiis trucidandi, vel capiendi curam ſuſcepit, xx. millium aureorum, & ditionis alicujus in Galliis idoneæ pretio. *Cominæus lib.*7. *Com.*

Armorum Corruptione.

Cruciferi arcem Pomeraniæ Svecam, Polonis parentem, jamdiù fruſtrà obſederant. Proinde cùm animadverterent ſedendo ſe tempus terere, & aperta vi nihil proficere, ad dolos ſeſe convertunt. Andream Cedrovicium auro corrumpunt, ut arcem ſibi proderet. Is nocte quadam chordis catapultarum & baliſtarum, quibus noſtri maximè hoſtium vim eminus reprimebant, ſucciſis, ad Cruciferos transfugit: & quid egerit exponit. Igitur Cruciferi magna fiducia arcem aggreſſi, deditione ceperunt. *Cromerus lib.* 11.

* INCOLUMITATIS PRÆSTATIONE.

Papyrius Curſor Coſ. apud Tarentum, Miloni, qui cum præſidio Epirotarum urbem obtinebat, ſalutem ipſi, & popularibus, ſi per illum oppido potiretur, pollicitus eſt. Quibus præmiis ille corruptus, perſuaſit Tarentinis, ut ſe legatum ad conſulem mitterent, à quo plena promiſſa ex pacto referens, in ſecuritatem oppidanos reſolvit, atque ita incuſtoditam urbem Curſori tradidit.

* TEMPORIS OBSERVATIONE.

Marcellus, cùm Syracuſanum quendam Soſiſtratum ad proditionem ſollicitaſſet, ex eo cognovit remiſſiores cuſtodias fore die feſto, quo Epicides præbiturus eſſet vini, epularumque copiam: inſidiatus igitur hilaritati, & quæ eam ſequebatur ſocordiæ, munimenta conſcendit, vigilibuſque cæſis, aperuit exercitui Romano urbem nobilibus victoriis claram.

Indicio Falso.

Præfectus Gabullæ urbis Syriæ maritimæ Ægyptius à Calipha ſuo Sultanoque impoſitus, adventu ducum Latinorum, quibus Antiochia non reſtitiſſet, territus, illis certum pondus auri paciſcebatur, ſi adjuti commeatu pacati abirent. Hoſtem à tergo relinquere nolebant: nec eum aliquid mari poſſe paſſuri erant. Ad Raymundum Comitem Toloſatem Ægyptius clàm miſit aurum, ut arte reliqua duces re infecta revocarentur. Ficti, evulgatique ſunt rumores, Perſas, quantum nunquam antè, exercitum ab intactis bello, extremiſque Orientis regionibus coegiſſe, appropinquareque: neceſſe videri omnes Latinos omiſſis parvis conatibus in unum coire, ac undique vires contrahere. Itum in Toloſatis caſtra. Rumores falſi deprehenſi, arſque cognita. Magis inviſus Toloſas proceribus, militumque vulgo. *Æmilius lib.*4.

Stephanus II. Ungarorum rex, adhuc juvenis ſuſceperat in Boemos expeditionem. Proceres deteſtati temerè motum bellum, Boemorum ducem ad colloquium invitant, ut abſque ſanguine res tranſigeretur. Boemus citò adfuit ad Orſonam amnem. Eum Soltha Ungarus ſequebatur exul, qui occaſionem communis exitii non prætermittendam ratus, ad regem Stephanum clàm ſcribit, Boemos, inermem cum ſuis ad colloquium venientem, armis circumventuros capturoſque. Contrà Ducem Boemorum admonet, ne regem inermis adeat: paratas enim eſſe inſidias, & ſagittariorum manum jam præmitti. Boemi, ducis edicto, arma capiunt. Intereà Soltha regem clàm edocet, ut ſagittariorum cohortem ad Boemica caſtra præmittat, quæ eorum adventum intercipiat. Monitis rex facilè credens, cohortes aliquas præmiſit. Quibus conſpectis Boemi, veriſſima Solthæ dicta rati, in eas impetum faciunt, & in fugam vertunt. Rex conſpecta ſuorum fuga, & populatione caſtrorum, cum cataphractorum equitatu Boemos in caſtris adortus cæcidit, eo ſolo infelix, quòd Soltham hujus cladis auctorem capere non potuit. *Bonfin. lib.*6. *Dec.*2.

Buthue, Godſcalci F. Vandalorum princeps, exul, ope Saxonum Plunenſe oppidum apertum ingreſſus ceperat. Interim Sturmariorum, Holſatorum, Thietmarſorumque collecta manu accelerabat, ut obſeſſis ferret opem. Cùmque turmatim perveniſſent ad rivum Zuale, diſterminantem Vandalos à Saxonibus, præmiſerunt virum Saxonem, gnarum Vandalicæ linguæ, qui exploraret, quid apud hoſtes ageretur. Ille captus ad Critonem Buthue æmulum ducitur, & præmio illectus, reverti ad ſuos juſſus, falsò renunciat, Buthue eſſe extra omne

periculum. Alii dicunt, proditorem à Vandalis perſuaſum, A tranſiſſe pontem, & obſeſſis ſuaſiſſe, ut conſulerent ſaluti ſuæ: Saxones enim auxiliarios inter ſe tumultuantes diffluxiſſe. Itaque Buthue ad deditioni conſilium fame coactus, ei mulier Teutonica fortè obvia, Prædare, inquit, ſi voles, & abi celeriter: hoſtes enim in inſidiis ſunt. Qui ſpernens muliérculæ verba, nocte illa permanſit in præſidio, lacu profundiſſimo undique cincto: aditum pons præbebat altiſſimus. Orta luce, infinita manu hoſtium vallatur oppidum: nec ulla uſquam ſupererat navicula, quæ ſpem daret obſeſſis ad abitum. Buthue igitur obſidionem cum ſociis in magna rerum penuria aliquantiſper tolerans, ſeſe dedidit, cultioraque ſumpſit, indumenta, & poſitis armis (ut convenerat) egreditur cum ſociis. Tranſierunt pontem bini, ac bini, arma tradentes: atque in hunc modum perducti ſunt in conſpectum Critonis. Erat fœmina in oppido primaria, quæ mandavit per nuncium Critoni, ut perderet peſſimos, qui ea nocte vim intuliſſent fœminis, atque puellis. Ea re exaſperati Vandali, facto impetu trucidaverunt inermes armati. *Crantzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 9.*

CONSILIO HOSTI DATO.

B Poſt acceptam ad Lamiam cladem, cùm Antipater feſtinaret in Aſiam tranſmittere, converſiſque ad illud bellum opibus, facilè videretur Athenienſibus pacem daturus, quòd rationibus ſuis minimè alienum putabat, ſi Athenas ipſas, atque adeò univerſam Græciam liberam eſſe ſineret: Demades, & alii conſiliorum ſocii, homini à ſententia oratione ſua deducto, nihil mite, aut benignum, in Græcos cogitandum perſuaſerunt. Quin cùm Athenienſem populum vehementer perterrefactum viderent, & Athenis, & in aliis urbibus, ut Macedonum imponerentur præſidia, auctores fuere. Confirmat id rerum eventus. Athenienſes enim etſi magnam acceperant in Bœotiis cladem, bis mille ex acie ſua captis, mille occiſis, non continuò tamen Philippi imperata fecerunt. Ad Lamiam verò ducentis fermè, ac nihilo pluribus militibus amiſſis Macedonibus ſuccubuere. *Pauſanias in Achaicis.*

Joan. Corvinus, anno ſuæ gubernationis regni Ungarici quarto, compenſaturus cladem in pugna in Varnienſi Turcis C acceptam, bellum inferre Amurathi Imp. Turcico cogitabat. Coacto itaque exercitu Iſtrum trajecit ad Severinum oppidum. At poſtquam in adverſa Danubii ripa conſtitere: Corvinus Georgium Deſpotem, qui clandeſtinis cum Turca internunciis, recuperato Myſiæ regno pacem ſervare nitebatur, per legatos hortatur, & orat, ut ſæpè à ſe rogatus ad ſacram expeditionem veniat, beneficiorumque, quæ ab Ungaris acceperit, memor eſſe velit, & ingratitudinis infamiam caveat, qua nihil boni viri dignitatem magis dehoneſtat. Deſpotes ægrè ferens Corvinum hominem novum, ſibi Imperatoris genere nato, in gubernatione regni Ungarici eſſe prælatum, multa cauſatus, auxilia recuſat. Quinetiam abeunte Corvino ad perfidiam illicò converſus, celeribus internunciis Ungarorum adventus, & copiarum multitudinis, Amurathem admonuit: præterea quotidiana ſignificat itinera, cùm invidiæ, tum gratificationis gratia, qua pacem cum eo facilè ſervatum iri confidebat. Item edocuit, Corvinum cum modicis illac copiis trajeciſſe, nil ipſi timere oportere. Præterea hoſti haudquaquam occurrendum, ſed permittendum ultrà progredi, mox à tergo iter obſtruendum: quod ſi fecerit, illum nunquam inde rediturum aſſeverabat. Amurathes Deſ- D potis conſilia nequaquam aſpernatus, Corvino regnum invadenti non occurrit: permiſit hoſtem ultrà progredi, atque ipſe duorum triumve dierum itinere ſubſequitur: à tergoque, ne retrò pedem referre poſſit, iter obſtruit. Tandem in anguſtias redactum Corvini exercitum, non ſine ſuorum hoſtiumque ſanguine, fuga Corvino ſibi conſulente, oppreſſit. *Bonfin. lib. 7. Dec. 3.*

FRAUDE, ET FALLACIIS.

Tarquinius Superbus, cum Gabinos in deditionem accipere non poſſet, filium ſuum Sextum Tarquinium cæſum virgis ad hoſtem miſit, is incuſata patris ſævitia perſuaſit Gabinis, ut odio ſuo adverſus regem uterentur, & dux ad bellum electus tradidit patri Gabinos.

Cyrus Perſarum rex, ſuum comitem Zopyram explorata ejus fide, truncata de induſtria facie, ad hoſtes dimiſit: ille aſſentante injuriarum fide, creditus inimiciſſimus Cyro, cùm hanc perſuaſionem adjuvaret, procurrendo propius, quoties acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commiſſam ſibi Babyloniorum urbem tradidit Cyro.

Philippus oppido Samiorum excluſus, Apollonio præfecto eorum, ad proditionem corrupto perſuaſit, ut plauſtrum lapide quadrato oneratum, in ipſo aditu portæ poneret, confe- E ſtim deinde ſigno dato inſequutus oppidanos, circa impedita portæ clauſtra oppreſſit trepidantes.

Hannibal apud Tarentum, quæ à præſidio Romano, duce Livio tenebatur, Eoneum quendam Tarentinum, quem ad proditionem ſolicitaverat, ejuſmodi fallacia inſtruxit, ut ille per cauſam venandi noctu procederet, quaſi id per hoſtem interdiù non liceret: egreſſo ipſi apros ſubminiſtrabant, quos ille tanquam ex captura Livio offerret, idque cùm ſæpiùs factum eſſet, & ideò minùs obſervaretur, quadam nocte Hannibal venatorum habitu, Pœnos comitibus ejus immiſcuit: qui cùm onuſti venatione, quam ferebant recepti eſſent à cuſtodibus, protinus eos adorti occiderunt. Tunc fracta porta admiſſus cum exercitu Hannibal omnes Romanos interfecit, exceptis his, qui in arcem profugerant.

Lyſimachus rex Macedonum, cùm Epheſios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mandronem Archipiratam, qui plerumque oneratas præda naves Epheſum appellebat, corrupto ei ad proditionem, junxit fortiſſimos Macedonum, quos ille reſtrictis manibus pro captivis Epheſum introduceret: qui poſteà raptis ex arce armis urbem Lyſimacho tradiderunt, F *lib. 3. cap. 3. Stratagem. Frontinus.*

OPERA HOSTI LOCATA.

Cùm CCC. Lacedæmonii in Thermopylarum anguſtiis Xerxis exercitum ſtrenuè repellerent, Phocenſes verò iter monte obſediſſent: Epialtes Trechinius Eutydemi F. regi indicavit tramitem, qui per montem ad Thermopylas ferebat. Et ſic Xerxes Græcos circumventos ad unum interfecit. Epialtes poſteà Lacedæmoniorum metu in Theſſaliam profugit: cujus profugi, Pylagoræ Amphictiones apud Pylæam congregati, caput pecunia licitati ſunt: qui interjecto deinde tempore, ab Athenade viro Trechimo Anticyræ (nam illuc redierat) interemptus eſt. Quem etſi ob aliam cauſam Athenades hic interemit, nihilo tamen ſeciùs à Lacedæmoniis præmio affectus eſt. *Herod. lib. 7.*

Profecto Uladiſlao rege Ungarorum in Bulgariam, Amurathes II. cognito hoſtium adventu, cùm Græcis, ac Turcis Europæis non ſatis fideret, exercitum ex Aſiaticis militibus, corruptis pretio ſpeculatoribus, infra Callipolim, qua fau- G ces Helleſponti arctiſſimæ ſunt in Boſphoro, in Europam deportavit, conjunxitque ſuis, qui non procul ab Iſthmo Thracii Cherſonneſi haud ſanè memorabili numero congregati fuerant. Dicuntur Genuenſes pro ſingulis capitibus aureum nummum accepiſſe pro vectigali, numerumque ultra centum millia aſcendiſſe: tot enim milites traduxit. Hinc memorabilis illa, & funeſta clades Varnienſis Chriſtianis illata. *Cuſp. A. D.*

CUR PRODITORES ALIORUM FACTI OB IMPERIUM.

Decius Imper. cum filio ad liberandas Thracias profectus (quandoquidem Scythæ navalibus, & terreſtribus copiis omnia infeſtabant) victor in primis congreſſibus, hoſtes in anguſtias locorum, quæ in Dardaniis ſunt, compulit, & obſedit: expugnaſſetque fame, ni proditus à ſuis fuiſſet. *Vide ſuprà, Prodere Arcana.*

AVARITIAM.

A rege Perſarum Artaxerxe multi Satraparum, multæ civitates in Aſia defecerant, & totius belli curationem, & poteſta- H tem commiſerant Oronti Myſiæ præfecto. Is cùm accepiſſet exercitum, & pecuniam, prodidit eos, qui crediderant. Exiſtimans enim ſe ſplendidis, ampliſque muneribus à rege ornatum iri, & totius maritimæ regionis ſatrapia potiturum, ſi tradidiſſet Perſis in manus defectores: primùm quidem eos, qui pecunias attulerant, comprehenſos ad Artaxerxem regem miſit: deinde multas civitates, atque mercenarios milites ducibus à rege miſſis prodidit. *Diod. lib. 15.*

Magnus Sforcia Armalerium Aſculanum, cui ut equitum turmam, & cohortes peditum ſimul ductaret, contra vetus inſtitutum indulſerat, unum omninò è tantis copiis, & beneficii oblitum, & ſumma cum perfidia alienatum ſenſit. Hic enim duce Neapoli cuſtodiæ tradito, urbem Orbitum naturali munitione inexpugnabilem, cùm fidem cum fortuna mutaſſet, Braccio venalem propoſuit, & prodidit. Nec diù Armalerius auro illo flagitiosè quæſito potitus eſt. Hoſtilia enim molitum, accumulataque perfidia, novæ proditionis conſilia fallaci ingenio verſantem, Vitellius Patriarcha Cornetanus laqueo necari juſſit. *Jov. in vita Magni Sforciæ.*

VIN-

VINDICTAM.

A Octavo jam menſe Antiochia Syriæ metropolis à Chriſtianis principibus obſidebatur, nec ulla ſpes ſupererat ea potiundi, novis Perſarum auxiliis adventantibus, Hemirpherrus Antiochenſis civis, Caſſiani principis ſcriba, ſed Chriſtianus, ex familia Benizetta, ita corruptæ à quodam Turcicæ juventutis nobiliſſimo uxoris incenſus, ſimul rebus Caſſiani deploratis, prodendæ cum præſidio, duceque Turcarum patriæ, conſilium ceperat: utque occultiùs id moliretur, ex omnibus Latinis unum Boemundum Tarentinum delegit, ad quem ipſe deficeret, Antiochiamque traderet, fama, admiratione que virtutis ejus permotus. Ergo Boemundus per Coronam militem Tarentinum præmonitis ſociis ducibus, hora noctis cum Hemirpherro compoſita, copias ſuas ſilentio circumduxit ad eam turrim, quam obtineri ab Antiochenſi ſciebat: nec ſtatim admiſſus, quòd Turca vigiliarum præfectus non ita excubias oppidanis credebat, ut non ipſe omnes circumiret, ac ſæpè repentinus, inopinantibuſque ſuperveniret, & tunc fortè eam turrim inviſens, ſalutato benignè Hemirpherro, collaudatoque, quòd id temporis vigilaret, ejus fidei, virtutique cuſtodiam B commendavit: inde digreſſus alias inviſebat. Tunc ſcalæ demiſſæ, ut Chriſtiani conſcenderent: primuſque in muros evaſit Longobardus nomine Paganus, animoſque cæteris fecit, ut certatim tranſcenderent, Turcarum domus, familiaque prædæ, ludibrio, pœnæque fuere: non uxoribus, non parvis liberis temperatum per impotentem iram: aliqui civium interempti, vel per errorem, vel ſtudio prædæ, cùm diripientibus reſiſterent. Ad decem millia cadaverum fuere. Ingens, magniq; pretii rerum præda facta. Pridie Calendas Junii urbs capta, octavo ampliùs menſe obſidionis. *Æmil. l. 4.*

Aloyſius princeps Genabenſium, Aſtæ à Carolo IIX. Galliæ rege Neapolitanum regnum occupaturo relictus, vaſtatis Ludovici Mediolanenſis principis finibus, tranſmiſſo furtim Pado flumine, Novariam per proditionem cepit. Erat eo in oppido Civis, cujus fratris fundos valde quidem fructuoſos Ludovicus Sforcia poſt ejus mortem dolo malo, ſuorum cuipiam addixerat, ipſo ad ſepulcrum in judicium ſiſti juſſo. Is fraternos ulciſcendi manes ſtudio, milites Aloiſanos, recluſis bene manè portis, intra mœnia recepit. *Bembus lib. 1. Venet. hiſt.*

C * PRODITIONIS, ET PRODITORUM POENÆ.

☞ *Multa de hac re inveniet Lector ſuprà in Loco de Pœnis. Tit. Injuſtitiæ in contractibus non voluntariis commiſſæ pœna. Videlicet* Proditionis. *Item eodem loco Tit. Pœna perfidiæ. Proditionis urbium.*

Certè apud Judæos cadavera proditorum proiiciebantur extra fines ipſorum: qua pœna mulctatum Phocionem, eoſq; qui inſimulati erant proditionis, auctor eſt. *Plut. in vita. Val. Max. l. 5. c. 3.* meminitq; legis Athenienſium Xenophon. *l. 1. rer. Græc.* Vide de Juda Iſcariote ſuprà, inter exempla ſacræ Scripturæ.

Agis Archidami F. Cum Ephori dicerent, Proficiſcere, juventutem tecum ducens ad hujus patriam, nam is ipſe te perducet in arcem: Et quid convenit, inquit, ò Ephori, tot juvenes ei credere, qui ſuam ipſius patriam prodidit. Graviter admonens, nihil illis tutò credi, qui in patriam perfidi fuerint. *Plut. in Lacon.*

Therycion Delphis rediens, cùm videret in Iſthmo anguſtias à Philippi copiis occupatas: Malos, inquit, ò Corinthii portarum cuſtodes, vos habet Peloponneſus. Alluſit, eo, quòd D graviter animadverti ſolet in cives, quibus urbis portæ commiſſæ ſunt, ſi eas indiligenter cuſtodierint. Multo magis accuſari merebantur Corinthii, qui totius Peloponneſi portas Philippo prodidiſſent. *Plut. in Lacon.*

Cilicon quidam, ſive Achæus, Miletum patriam prodiderat Prienenſibus. Quo nomine meritò habebatur omnibus exoſus, cujus perfidiam lanius quidam Theagenes ſic ultus eſt. Cilicon adit Theagenem, in macello capturus carnes. Lanius diſſimulato odio porrigit carnium partem, veluti reſecturus, quod ſupereſſet. Cilicon profert dextram ex adverſo retenturus carnes, Theagenes machæra ſublata, proditoris manum amputavit, ac ne id videretur errore factum, addidit: Iſta ſaltem manu poſthac non proditurus es ullam civitatem. Applaudebatur lanio, quod impium pro dignitate tractaſſet. Hinc adagium, Cilicontis exitium, *quod in Chiliadibus recitat Eraſ. l. 5. c. 6.*

Anno Domini 1597. dum Pappa oppidum Inferioris Hungariæ in manus, ac poteſtatem Rudolphi Imp. deveniſſet, Maximiliano illius fratre illud occupante. Septem Bribegi, quo nomine appellant proditores, & transfugas; in arce comprehenſi, uſitato apud Hungaros ſupplicio, palis crudeliter infixi, & transfixi, in ſummis cruciatibus poſt longam moram vi- E tam miſerè finierunt. *Ex Tomo 6. Civitatum, tabula 35.*

☞ *Plura hujus generis require ex Loco ſuperiori, de Pœna, & Punitione.*

PRODITIONEM NON ADMITTERE.

Cum Socrati rex Perſarum magnam pecuniam promitteret, tentans ejus animum in proditionem dirigere: admitti legatos juſſit, cum fortè olera comederet. Audite, inquit, an hoc prandium proditorem facit. *Val. Max. lib. 7.*

* PUNITIONEM DIFFERRE, DISSIMULARE.

Rex Antigonus cùm audiviſſet Pythonem Mediæ Præfectum exercitum peregrinum conſcribere, & pecunias colligere, eo conſilio, ut defectionem faceret, ſimulabat ſe nunciantibus fidem non habere, quin dicebat: nequaquam ego id agere Pythonem crediderim: ut cui quinquaginta millia Thracum, & Macedonum armatorum, ac mille cuſtodes præfecturæ, quos ſi mittam paravi. Quibus auditis Python, humanitati credidit, & ociùs capeſſurus conſilium, & obſequia delaturus venit. Antigonus verò eum excepit, & mox in medium Macedonum introductum morte abſque tumultu mulctavit. *Polyænus lib. 4. Strateg.* F

Sic idem teſtatur *lib. 6.* feciſſe Leuconem, dum in bello adverteret quoſdam ex Trierarchis moliri proditionem. Vocatis enim, & detectis apud ſe dixit, ſiniſtra de illis ſpargi, quibus fidem non daret: ne tamen in ſuſpicionem venirent, velle illos quieſcere, multaque eos benevolentia complexus eſt. At bello finito, eoſdem tanquam ſuſpectos à militibus trucidari juſſit.

* PRODITORES INVISI, ETIAMSI PRODITIO IPSA SIT GRATA.

Nicoſtratus, cùm ab Archidamo multis præmiis, pollicitationibuſque ad proditionem tentaretur, reſpondit: Archidame, te ab Hercule genus non ducere, ſatis intelligo; Hercules enim malos pœna affecit: Archidamus verò, eos, qui probi ſunt, malis afficere ſolet. Notavit autem Archidami fraudes, qui proditionem hoſtibus imponere tentabat. *Plut.*

Philippus interrogatus, quos amaret præcipuè, & quos maximè odiſſet: Reſpondit: Prodituros quidem in primis amo: eos verò, qui jam prodiderunt, odi maximè. *Stob. ſerm. 12.*

Cùm in convivio Rhymitalces Thracum rex, qui ab An- G tonio ad Auguſtum deſciverat, inſolentius jactaret erga Cæſarem merita: ac ſine fine exprobrans belli ſocietatem, moleſtus eſſet: Cæſar diſſimulata illius petulantia, alteri cuidam regum propinans dixit, Proditionem amo, proditores non laudo. Significans, his, qui proditione profuerunt nihil deberi gratiæ, licèt enim officium, quod præſtant pro tempore gratum eſt, ipſi tamen habentur pro malis, ac fœdifragis. *Plut. in apoph.*

Scitum eſt illud, quod ait Æſchilus:

Τὸς προδότας γὰρ μισεῖν ἔμαθον
Κ᾽ οὐκ ἔστι νόσος τῆς δ᾽ ἥν τιν᾽ ἀπέπτυσα μᾶλλον.
Didici enim odiſſe proditores,
Nec eſt vitium, quod magis, quàm hoc reſpuam.

De Imperatore Severo ſcribit *Herodianus*, quod multos Duces Nigri æmuli imperii, per filios ad prodendas ejus res impulerit; idem poſtquam eorum opera abuſus eſſet, ſuaque omnia ex ſententia compoſuiſſet, ipſos, liberoſque necaverit. Memorabilis inſuper eſt epiſtola Aureliani Imperatoris de Heraclemone proditore patriæ ſuæ: quam ex *Flavio Vopiſco* H huc deſcribendam duxi.

Aurelianus Auguſtus Mallio Chiloni S.

Occidi paſſus ſum, cujus quaſi beneficio Thyanam recepi. Ego verò proditorem amare non potui, & libenter tuli, quòd eum milites occiderent, neque enim mihi fidem ſervare potuiſſet, qui patriæ non pepercit, &c.

Sic Maximinus Imp. Macedonio, qui Tycum æmulum imperii occiderat primò gratias egit, poſteà ut proditorem odio habuit, & occidit, ut referunt *Herodianus, & Julianus Capitolinus in ejus vita.*

Porrò non omittendum eſt Brenni Galliæ regis factum. Is enim vaſtando Aſiam cum Epheſum perveniſſet, ibi caſtrametatus, præfinitum pugnæ diem expectabat. Intereà plebeja quædam virgo nomine Dæmonice, amore barbari capta, proditurum ſe ipſi Epheſum promiſit, ſi torques, & monilia pro mercede darentur. Ad hanc Brennus incerto loco ſuſceptam ſubditos duxit, & quidquid haberent auri, in gremium avaræ coniicerent, imperavit. Qui cùm imperium exequerentur, Dæmonice, præ auri in ſe conjecti multitudine, & gravitate, vivens eſt obruta.

Julianus Comes Spartariorum Gothus, dignam mercedem ſuæ nimiæ, & intempeſtivæ vindictæ, cùm patriam, & gentem ſuam Sarracenis prodidiſſet, retulit. Is enim, cùm ipſius opera Rodericus ultimus rex Gothorum, ut refert *Santius Hiſt. Hiſpan. lib.2. c.3.* poſtquam filiam ejus violenter oppreſſiſſet, contra Mauros pugnans occubuiſſet, & Gothorum exercitus deletus eſſet, ab iiſdem veluti proditor, indignus, qui viveret, trucidatus eſt. De qua re in tumulo propè Viſæum civitatem Luſitaniæ: *teſte Roderico Toletano de reb. Hiſp. c.19. lib.4.* ubi clades illa prolixè deſcribitur, talis extat inſcriptio:

Hic jacet Rodericus ultimus rex Gothorum. Maledictus furor impius Juliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura, Veſanus furia, Animoſus indignatione, impetuoſus furore. Oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor divinitatis, crudelis in ſe, homicida in dominum. Hoſtis in domeſticos, vaſtator in patriam, reus in omnes, memoria ejus in omni ore amareſcet, & nomen ejus in æternum putreſcet.

De hujus Juliani mercede, digna ſua proditione, *Nunius Pincianus, ut à Joan. Vaſæo in Hiſpaniæ chronico* citatur, paulò aliter deſcribit, uxorem videlicet ejus è barbaris proditionem laudentibus, ſed non proditorem, lapidibus obrutam, filium è turri Septenſi præcipitem actum; ipſum verò Julianum omnibus poſſeſſionibus exutum, miſeram mortem obiiſſe in vinculis, in arce Aragonica quadam territorii Oſcenſis.

Similem hiſtoriam de Tarpeja Rom. filia habemus, cùm Romanis urbem prodidiſſet, *M. Varro, & Livius* narrant. Mons Tarpejus, ait *Varro*, à Virgine Veſtali Tarpeja, quæ ibi à Sabinis necata armis, & ſepulta, ejus nominis monumentum relictum, quod etiam nunc ejus rupes Tarpejum appellatur Saxum.

Et *Servius in illud Virgilii lib.* 8.

Hinc ad Tarpejam ſedem, &c.

Tarpeja, inquit, ſedes dicta eſt à Tarpeja virgine. Cùm enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, & Tarpejo cuidam dediſſet arcem tuendam, ejus filia aquatum profecta in hoſtes incidit, quam cùm hortarentur ad proditionem, illa pro præmio popoſcit ornatum manuum ſiniſtrarum, id eſt, armillas. Facta itaque arcis proditione; hoſtes ingenioſa morte, promiſſa ſolverunt. Nam ſcuta, id eſt, ſiniſtrarum ornatum ſuper illam jacientes, eam luce privarunt, quæ illic ſepulta Tarpejæ ſedi nomen impoſuit, &c. Hinc Petronia, & Tituria gens. utraque ex Sabinis orta, ad indicandam ſuam originem, Tarpejæ imaginem in nummis ſignavit, ſicut videre licet apud Antonium Auguſtinum. De hac proditione ita *Silius Ital.* 13.

Illa autem, quæ tondetur præcordia roſtro
Alitis, in quantum reſonat plangentibus alis
Armiger ad paſtus rediens Jovis, hoſtibus arcem
Virgo, immane nefas, adamato prodidit auro
Tarpeja, & pactis reſeravit clauſtra Sabinis.

De Carolo IV. qui proditoribus adulterino auro fidem datam proditioni ſatisfecit, alibi dictum eſt.

Similis hiſtoria legitur *apud Paulum Æmilium de vit. Clodovei. lib.1. de reb. geſtis Franc.* de Clodoveo, qui ſuſceptis Chriſtianis ſacris, Ludovicus appellatus eſt. Cùm enim Cannacarius Cameracenſium, & Atrebatenſium Regulus ob affectatum regnum, unà cum fratribus ſuis, Ludovico proditi, necatique eſſent: proditoribus, ne exemplum prodendorum Regum judicio ſanctum haberi poſſet, munera, quæ aurea dari convenerat, adulterina data ſunt.

Etſi autem hiſtoriæ teſtantur, hoc genus hominum multum uſurpaſſe Philippum Alexandri Magni patrem: tamen conſtat illum eos odiſſe peſſimè. Itaque quodam tempore querentibus Olynthi proditoribus apud ſe, quod per contumeliam à Macedonibus proditores patriæ appellarentur. Eſt, reſpondit, illa natio incivilis, & ruſtica, atque ſuis nominibus res vocare quaſque ſolet. Vel, ut Plutarchus retulit, σκάφην Macedones, inquit, σκάφην nominant.

De Solymanno Turcarum Imperatore in præſidiarios arcis Budanæ ſæviente, quod contra voluntatem cuſtodis eam tradidiſſent, diximus *in Loco de pœnis. Tit. Proditionis urbium, arcium, &c.*

Neque diſſimile eſt, quod de eodem narratur, nempè, quo pacto egerit cum quodam, cujus opera in occupanda Rhodo Inſula uſus fuerat. Promiſerat enim proditori illi, ſi victor evaderet, ſe illi unam ex filiabus ſuis cum magna dote in matrimonium collocaturum. Petente poſteà eo præmium proditionis promiſſum, Tyrannus adduci filiam, more regiarum puellarum gemmis, & auro ornatam, eique dotem immenſam aſſignari juſſit. Cùm autem ille proditor, veluti ſomnio beatus, gaudio geſtiret, mox converſus ad eum Tyrannus. Vides, inquit, me promiſſis ſtetiſſe. Verùm cùm tu ſis Chriſtianus, filia autem mea, ſponſa tua futura, ſit origine, & profeſſione Mahometana: proculdubio parum inter vos conveniret, neque mihi placet gener, niſi intra, & extra cutem Muſulmanus. (Hoc nomine Turcæ denotant, orthodoxum rectè credentem, & qui ſit fidelis, qui pius, qui juſtus.) Non autem ſufficiet, ut verbotenus; ſicut nonnulli ex tua ſecta, dicis cauſa, ſpeve lucri facere ſolent, abnegando tuum crucifixum Chriſtum, id teſteris: ſed deponenda penitus tibi tua pellis baptizata, & incircumciſa erit. His dictis mandavit, ut ſuo genero deſignato, cutis detraheretur, & is deinceps in lectum ſale conſperſum collocaretur: ſicque denuo cute, eaque Mahometana corpus ejus obduceretur, tum demum ſponſa ſua illi adduceretur. Ita proditor ille ludibrio habitus, dignam mercedem ſuæ perfidiæ, & proditionis accepit, nam inter intolerabiles cruciatus expiravit.

Eandem mercedem dignam ſanè pro meritis accepit Judæus Medicus à Selimo patre Solimani. Cùm enim præmiis, & minis eum induxiſſet, ut patrem Bajazetem, veneno ex contrito adamante (negantibus tamen Medicis noſtratibus, hanc vim nocendi, vel interficiendi adamanti contrito ineſſe) interficeret: mox ei caput præcidi juſſit. Eadem ſiquidem, dicebat, adversùs me etiam auderet Judæus iſte, ſi patrandi ſceleris occaſio, vel ſpes præmii affulgeret.

Huc referri poteſt hiſtoria, quam narrat *Æneas Sylvius hiſtor. Bohem. c.11.* Bohemi, inquit, parta victoria, occiſo Uratislao, terram ejus ferro, atque igne devaſtant, inventumque Uratislai filium impuberem, Principi Grezomislao, qui & Necla dictus eſt, tradunt. Qui miſertus ætatis, patruelem educandum Duringo, ad Ægram fluvium imperium poſſidenti, Uratislai graviſſimo quondam Comiti tradidit. Qui cæca cupidine captus, tanquam initurus principis gratiam, puero, qui inſuper Ægram, qui tum glacie conſtrictus erat, perfracto gelu, piſces quærenti, gladio caput abſtulit, ſecumque id Pragam ducens, ubi ad Neclam introductus eſt, proferens cruentum caput; ſolium, inquit, tuum hodie firmavi, aut perire hunc, aut te oportuit; ſecuriùs in utramvis aurem poſteà dormies, æmulo regni ſublato. Motus haud aliter, quàm erat Princeps, tam diro ſpectaculo: perfidiam, ait, nulla beneficia vincunt. Ut aleres puerum, non ut occideres, credidi. Te neque meum imperium, neque amici memoria, neque innocentis pupilli miſeratio retraxit à ſcelere. At mihi quietem parare voluiſti? Tui ergo meriti hæc ſumito præmia. Ex tribus mortibus, quam malueris optionem habeto: aut gladio teipſum confodito: aut laqueo perſtringito guttur: aut ex Vislegradenſi rupe præceps ruito. Duringus accepta ſententia, in Alni arbore, quæ propinqua fuit, ſeſe ſuſpendit. Alnus poſteà quandiu manſit, arbor Duringa dicta fuit.

Conveniens itaque hujus ignominioſæ mortis præconium, & Epitaphium fuiſſet, quod Savarico piratæ famoſo poſitum fuit, *teſte Mejero in Annal. Fland. l.* 8. tale videlicet:

Concepit facinus mens: ſuaſit lingua, peregit
Dextra: malus, pejor, peſſimus ille fuit.
Concipiendo malus, ſuadendo pejor, agendo
Peſſimus: hinc turpis vitaque, morſque fuit.
Mors ea non habuit planctum, nec vita favorem,
Nec facinus veniam, nec cinis exequias.
Mors lætam, triſtem mora mortis fecerat urbem,
Cujus mors placuit, non bona vita fuit.

At recentior, & relatu digna hiſtoria eſt, quæ non ita pridem accidit, cùm rex Philippus Hiſpaniarum, mortuo Sebaſtiano, & Henrico ejus proximè agnato, reſignato Cardinalatu, Luſitaniæ Regibus, Antonioque regnum affectante, victo, & expulſo, Luſitaniam, vel, ut vulgo vocatur, Portugalliam, Duce Albano occupaſſet. Ita enim eam recenſet Joſephus Taxera, cujus verba eò libentius retinui, ne viderer, in tam ardua re ſucceſſionis, meum judicium interpoſuiſſe. Aliud enim eſt hiſtoriam citare, aliud approbare. Operæ pretium, inquit, hic erit referre, quo pacto Sereniſſimus Rex Philippus, cùm iis egerit, qui in cauſa fuere, quod tam levi negotio, rerum in Portugallia fuerit potitus. Hi Antonio Rege Portugalliæ vero, ac naturali, planè Regno exturbato, ac profligato, Philippo ſupplicem libellum porrigunt, quo enarrant cuncta, quæ præſtiterant, quo ille faciliùs regnum occuparet, ſupplicantque, ut rex vellet adimplere ea, quæ ejus nomine ipſis eſſent promiſſa, à Regiis Legatis, Duce videlicet Oſſinienſi, & Chriſtophoro à Maura; exhibent quoque ſcripta; quibus de Legatorum, ſeu Agentium (ut loquitur Conneſtagius) promiſſis conſtabat. Ad quæ Rex Philippus reſponderi jubet, ut hunc ſupplicem libellum unà cum Agentium ſcriptis traderent judicum collegio, quod in Portugalia Menſa Conſcientiæ vocatur. Hoc cum factum fuit, prolatum eſt de ea re decretum in hæc verba: *Cùm Rex Philippus ſit verus hæres regni Luſitanici, non licuit ſupplicantibus idipſum vendere donis, vel pollicitationibus; quia potiùs incurrerunt pœnam capitis, eo quòd ultrò, & citrà hæc promiſſa, regnum ipſi Philippo Regi non tradiderint: ſin verò regnum ad Antonium pertineret, eos id Regi vendere non potuiſſe. Quare Rex Philippus nullo modo obligatur promiſſis, quæ Legati, ſive Agentes ſupplicantibus fecerant; verùm benignitate, ac clementia ſua utens, abſolvit ſupplicantes à capitali pœna, cui hac de re ſe fecerunt obnoxios.* Optima quidem merces qualem plerumque accipiunt proditores.

Aliud ſanè in non diſſimili cauſa, & quidem dignum præmium, & mercedem proditionis, non ita pridem Jeremias Czarnauvieczius Barcabalus, præfectus arcis Chomicenſis (eo enim nomine præfecti arcium lingua VValachica appellantur) unà cum ſuis copiis à Turcis accepit. Cùm enim ab Ivonia Vvalachiæ Regulo, ad Danubium cum tredecim millibus fortiſſ. equitum miſſus eſſet, ut Turcarum copias ex oppido Oblatienſe, à trajectu impediret. Is autem largitionibus, & promiſſis corruptus, ducentis millibus Turcorum, tranſitum liberum, inſcio Ivonia, eique fidens permiſiſſet, & in prælio deinceps ſuos vexillum demittere, & pileos haſtis, enſibuſque impoſitos, elevare, ac capita flectere, in ſignum deditionis juſſiſſet, mox Turcicus exercitus voti compos, abſque impedimento trajecto Danubio, præter exſpectationem Ivoniæ, proditores illos VValachos, acie diſpoſita, ante ſe propellere, ac tergiverſantes non ſecus, ac hoſtes cædere. Quibus Ivonia, vix exercitu ſuo in ordinem redacto, & acie inſtructa, viſis, & fraude, ac traditione improviſa, licèt ſerò intellecta, ira, & indignatione perculſus, in eos vim tormentorum exonerare jubet. Sic illi proditores partim à Turcis in medio cæſi fuere. Turcæ verò proditorum terga ſecuti, iiſque tecti per ſtragem cadaverum ad exercitum Ivoniæ, ſanguine eis iter monſtrante, qui inſtar rivi, ex cæſis VValachis fluebat, pervenere: eoſque multitudine ſua, & territos improviſa irruptione, facilè profligavere, &c.

Oſorius de rebus Africis, & Judicis l.12. egregium exemplum refert, de duobus Regulis fratribus, Benaduxera, & Fere, qui cùm ob ſimultates cum Rege Feſſenſe, ad Luſitanos in oras illas Africæ, quas præſidio tenebant, defeciſſent, & præliis, atque excurſionibus ſeſe fidos erga Africos præſtitiſſent, tandem amore patriæ, & religionis Mahometanæ, rurſus Regi Feſſenſi his conditionibus reconciliatos eſſe, ut Chriſtiana præſidia, ex inſidiis ad ſe adducerent. Verùm licet Benaduxera id facere conatus fuerit à fratre minore Fere, ut ſalvi dimitterentur, perſuaſum fuiſſe: inter alias diſſuaſorias monitiones eſt, fratris minoris ad majorem memoratu digna, ubi ita dicit: Tu à noſtri Regis Feſſenſis fide deſciviſti: tu bellum illi diuturnum intuliſti, nunc rurſus ab Emmanuele deficis? Quomodo igitur is tibi crederet, à quo toties fidem nefariè datam, violatam eſſe comperit? Vetus dictum eſt, Regibus gratam eſſe proditionem, in ſuam utilitatem commiſſam, proditoris tamen nomen inviſum, &c. Hæc cùm Feres liberè, & animoſè diceret, fratris animum non mediocriter irritavit, parumque abfuit, quin manus conſererent. Sed cùm Benaduxera multo potentior eſſet, junior frater illi repugnare non potuit. Cum illo tamen egit, ut ſignum, & tabernaculum Emmanueli referri juberet, & Chriſtianos ſalvos redire permitteret. At cùm fratres ad Regem Feſſæ pervenirent, Rex eos non admodùm hoſpitaliter accepit. Utrique enim caput abſcindi juſſit; illos enim, quod multùm nobilitate, & opibus excellerent, & metueret, ne defectione rurſus illi moleſtiam exhiberent, de medio tollendos eſſe ſtatuit, &c.

Mahumetani ſanè, vel ut ipſi vocari volunt Muſulmani, non ſolùm erga proditores ſuæ religionis, ſed etiam Chriſtianos, quos illi Gauros vocant, malè ſunt affecti, neque illis ex animo fidunt, licèt aliud ſimulent, quandiù ipſorum opera illis utilis eſt: deinceps verò illis ſicut viperam, quando id quod ab ea medici ad theriacam præparandam ſumunt, deteſtantur, & occidunt. Quemadmodum anno 166. factum eſt, cùm Ladislaus Kerezimus Hiulam prodidiſſet, & magna præmia ſibi promiſſa, ob hanc perfidiam expectaſſet. Juſſu enim Selimi, accuſatoribus ſubornatis, ob exercitam in captivos Muſulmanos ſævitiam, ut ex eorum arbitrio pœnas lueret, traditus fuit; Qui hominem ſceleratum vaſi, clavis peroblongis perforato, ſic incluſerunt, ut dolio de monte per declivia præcipitato, clavis acutis confixus exſpiraret.

PRODITORIBUS, AC PRODITIONI
[Idem de Transfugis eſto Judicium]
PRUDENTER, VEL ASTUTE OCCURRERE.

CL. Marcellus cognito conſilio Battei Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares ſtudebat, & Hannibali gratificabatur, quòd illius beneficio curatus inter Cannenſes ſaucius, & ex captivitate remiſſus ad ſuos erat, quia interficere eum (ne ſupplicio ejus reliquos concitaret Nolanos) non audebat, accerſitum ad ſe allocutus eſt, dicens: fortiſſimum eum militem eſſe, quod anteà ignoraſſet: hortatuſque eſt, ut ſecum moraretur: & ſuper verborum honorem, equo quoque donavit. Qua benignitate non illius tantùm fidem, ſed etiam popularium, qui ex illo pendebant, ſibi obligavit.

Hamilcar Dux Pœnorum, cùm frequenter auxiliares Galli ad Romanos tranſirent, etiam ex conſuetudine, ut ſocii exciperentur, ſibi fideliſſimos ſubornavit; ad ſimulandam tranſitionem, qui Romanos excipiendorum cauſſa eorum progreſſos cæciderunt. Quæ ſolertia Hamilcari, non tantùm ad præſentem profuit ſucceſſum, ſed in poſterùm præſtitit, ut Romanis veri quoque transfugæ forent ſuſpecti.

Hanno Carthaginenſium Imperator in Sicilia cum comperiſſet Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia conſpiraſſe ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquod menſium mercedes non receperant, animadvertere autem in eos non auderet, metu ſeditionis, promiſit prolationis injuriam, liberalitate penſaturum: quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum datis pollicitis, fideliſſimum diſpenſatorem ad Otacilium Coſ. miſit: qui tanquam rationibus interverſis transfugiſſet, nunciavit, nocte proxima Gallorum quatuor millia, quæ prædatum forent miſſa poſſe excipi. Otacilius, nec ſtatim credidit transfugæ, nec tamen rem ſpernendam ratus diſpoſuit, in inſidiis lectiſſimam manum ſuorum, ab ea Galli excepti dupliciter, Hannonis conſilio ſatisfecerunt, & Romanos cæciderunt, & ipſi omnes interfecti ſunt.

Hannibal ſimili conſilio ſe à transfugis ultus eſt. Nam cùm aliquos ex militibus ſuis ſciret transfugiſſe proxima nocte, nec ignoraret exploratores hoſtium in caſtris ſuis eſſe, palàm pronunciavit, non debere transfugas vocari ſolertiſſimos milites; qui ipſius juſſu exierint ad excipienda hoſtium conſilia, auditis, quæ pronunciavit, retulerunt exploratores ad ſuos. Tum comprehenſi à Romanis transfugæ, & amputatis manibus remiſſi ſunt.

Diodorus, cùm præſidio Amphipolim tueretur, & duo millia Thracum ſuſpecta haberet, quæ videbantur urbem direptura, mentitus eſt paucas hoſtium naves proximos littori applicuiſſe, eaſque diripi poſſe. Qua ſpe ſtimulatos Thracas emiſit, ac deinde clauſis portis non recepit. *Frontinus lib.6. cap.16. Stratagem.*

Camillo Phaliſcos obſidenti, ludimagiſter liberos Phaliſcorum, tanquam ambulandi cauſa extra murum eductos, tradidit, dicens repetendis eis obſidibus neceſſariò civitatem imperata facturam. Camillus non ſolùm ſprevit perfidiam, ſed & reſtrictis poſt terga manibus magiſtrum virgis agendum ad parentes tradidit pueris, adeptus beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Phaliſci ob hanc juſtitiam ſpontè ei ſe dediderunt.

Ad Fabricium Ducem Romanorum medicus Pyrrhi Epirotarum Regis pervenit, pollicituſque eſt daturum ſe Pyrrho venenum, ſi merces ſibi, in qua operæ pretium foret, conſtitueretur. Quo facinore Fabricius egere victoriam ſuam non arbitratus, Regi medicum detexit: atque ea fide meruit, ut ad appetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum. *Idem lib.4. cap. 4. Stratag.*

* Proles.

A
* Definitio, et Etymologia.

PRoles Græcè γόνη, Hebraicè *Jeledeb* peperit, ſignificat ſobolem, progeniem, & dicitur tam de hominibus, quàm de brutis. Sic enim apud *Virg. 1. Æn.*

Pulchra faciant te prole parentem

& *Ovid. 8. Metam.*

Ante volat, comitique, velut ales, ab alto
Quæ teneram prolem produxit in aera nido.

PROLIS DESIDERIUM.

Magno prolis deſiderio tenebatur Abraham Patriarcha, qui Deo, ſibi promittenti multa bona, & opes, dicebat. Quid dabis mihi? id eſt, cui illa ſervient? Ego vadam abſque liberis, & filius procuratoris mei, id eſt, Oeconomi, & diſpenſatoris, Eliezer nempè, erit hæres meus. Cui dixit Deus, non hic erit hæres tuus, ſed qui egredietur de utero, ipſum habebis hæredem. *Gen. cap. 15.*

Valde ſe angi oſtendebat, Rachel cùm eſſet infœcunda, quod diceret marito ſuo, da mihi liberos, alioquin moriar. *Gen. cap.30.* Putant autem Hebræi Rachel alludere ad Re-
B beccam, & Iſaac. *Gen.25.* q. d. effice ſicut Jacob efficit ſuis precibus, ut fiam fœcunda, ſicuti mater tua oratione fœcunda effecta eſt. Quin ut voti ſui fieret compos, dicebat, habeo ancillam Balam, ingredere ad illam, ut pariat ſuper genua mea, id eſt, ut filium ex ea, utpote ancilla mea, ſuſcipiam pro meo.

Anna uxor Helcana videns, quod Phenenna fœcunda eſſet, amaro animo erat, præſertim cùm hæc illi exprobraret ſterilitatem. Unde & ad Dominum oravit, ut reſpiciens afflictionem ſuam, ei daret ſexum virilem: quod ſi faceret, promittit ſe illum daturam Domino omnibus diebus vitæ ſuæ. *1. Reg. cap. 1.*

PROLIS NUMEROSÆ GENERATIO.

☞ *Conſule Locum de Fœcunditate. Matre. Filiis. Partu.*

Ariſtoteles l.7. de nat. animal. cap. 4. affirmat mulierem quandam quadruplici partu XX. enixam proles.

Fazellus tradit Joannam Pancicam Agrigentinam mulierem ætate ſua Bernardo Balluardo Agrigentino nuptam, tantæ fuiſſe fœcunditatis, ut tricies circiter enixa, LXX. ediderit
C liberos.

Idem ſcribit ann. Sal. M.CCCC.XXX. mulierem quandam Maſſanæ annos natam XXIV. novem uno partu infantulos edidiſſe: ac ſtatim cum iis extinctam eſſe.

De Comitiſſa Hollandiæ, quæ CCCL. XIV. liberos uno partu peperit. *Vide, quæ diximus in loco de Matre. Fœcunditate.*

---

* Promiſſio.

☞ *Vide Pollicitatio.*

Definitio, et Etymologia.

PRomiſſionem, quam ἐπίσχεσιν Græci, Dabar, id eſt, verbum Hebræi appellant, & prout communiter Latini ea voce utuntur, eſt deliberata, & ſpontanea fidei obligatio, facta alicui de re quapiam, quæ ſit honeſta, & poſſibilis. Debet ergo, qui promittit ſe obligare alteri ex virtute fidei, ſive fidelitatis, ut rectè *Sotus l.7. de juſt. q.1. art.2.* Cætera, quæ definitionem concernunt, *videantur in Loco de Polli-*
D *citatione.*

PARTITIO, ET NOMINATIO.

Duplex eſt promiſſio: altera Deo facta; altera homini: prior vocatur Votum, de quo diſputat *D.Thom. in 2.2. q.88.* poſterior ſervat nomen Promiſſionis.

Hæc, de qua ſola agimus, ſortitur varia nomina apud Juriconſultos. Vocatur enim Pollicitatio, Pactum, Stipulatio. Pollicitatio dicitur, quando ſolum offertur à promittente. Pactum, quando acceptatur à promiſſario. Unde eſt illud *Ulpiani l.3. ff. de Pollicitationibus;* Pactum eſt duorum conſenſus, atque conventio. Pollicitatio verò offerentis ſolius promiſſum. Vel, ut Theologi loquuntur; Pollicitatio eſt nuda promiſſio, nondum ſecuta acceptatione: Pactum verò eſt promiſſio acceptata. Et quidem ſi promiſſio, & acceptatio fiat certa verborum formula, præcedente interrogatione unius, & ſecuta reſponſione alterius; dicitur apud Juriconſultos Stipulatio, v.g. Spondes dare tantùm? ſpondeo. Promittis mille? promitto. Dabis mille pro domo mea? Dabo, & ſic deinceps.

Jam Promiſſio homini facta eſt triplex. Prima gratuita, ſeu liberalis, quæ tantùm obligat ex parte promittentis, qualis E
eſt in donationibus.

Secunda oneroſa, quæ obligat ex utraque parte; qualis eſt in contractibus, tam publicis, quàm privatis.

Tertia jurata, quæ ſive ſit gratuita, ſive oneroſa, hoc ampliùs habet, quod juramento confirmetur.

REQUISITA AD VALIDITATEM PROMISSIONIS GRATUITÆ.

Ut promiſſio gratuita, ſeu liberalis, ſit valida, & obligandi vim habeat, quædam requiruntur ex parte promittentis; alia ex parte promiſſarii, alia ex parte rei promiſſæ.

Ex parte promittentis requiritur. 1. ut poſſit ſe obligare. 2. ut velit, & intendat ſe obligare. 3. ut conſultò, ac deliberatè id faciat. 4. ut ſpontè, & voluntariè. Nam ſi vi, aut metu extorta ſit promiſſio, non tenemur eam implere, niſi ſit jurata, ut docet *D. Thom. in 2.2. q.89. art.7. ad 4.* Ratio eſt, quia qui metu, aut vi extorquet promiſſionem, injuriam facit. Unde ratione injuriæ poteſt promiſſor non ſolvere promiſſum.

Ex parte promiſſarii requiritur, ut acceptet promiſſionem. Unde nuda promiſſio, antequam in pactum tranſeat, quod ſit per acceptationem, ordinariè non obligat, nec actionem pa- F
rit in foro civili. Eſt communis ſententia, *teſte Gomezio Tom. 2. c.9. n.1.* Ratio eſt, quia obligatio non naſcitur niſi ex mutuo duorum conſenſu, *l.1. ff. de pactis.* Hinc ſequitur, promiſſionem ante acceptationem revocari poſſe, ut clarè deducitur *ex l. Abſenti 10. ff. de donationib. & l. ſi pater, ff. de manumiſſ. vindicta.*

Ex parte rei promiſſæ requiritur, ut ſit licita, & honeſta, ſi ſecus fiat, promiſſio eſt irrita, ut patet *ex l. Pacta, C. de pactis*, quæ ſic habet; Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris eſt.

Hinc colliguntur duæ regulæ, quæ valdè utiles ſunt in hac materia.

Prior eſt, omnes promiſſiones, & pacta irrita eſſe jure divino, & naturali, quorum impletio eſt illicita, & lege prohibita; ut ſi promiſeris, te commiſſurum furtum, homicidium, adulterium; ſi ad hæreſin Lutheri, aut Calvini deflexurum; ſi Confeſſionem, & alia ſacramenta neglecturum.
Ratio eſt, quia nemo poteſt obligari ad peccatum. Hinc G
Iſid. c. in malis, 22. q.4. In malis promiſſis reſcinde finem. *Et infrà:* Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur. Nec refert, etiam ſi juramentum intervenerit. Nam tritum eſt illud, Juramentum non eſſe vinculum iniquitatis, id eſt, ad malum non obligare. *Vide Molinam tract. 2. de juſtitia diſp. 271.*

Poſterior eſt; Omnes promiſſiones, & pacta irrita eſſe jure civili, quorum impletio eſt contra bonos mores. Cenſentur autem eſſe contra bonos mores, quæ præbent occaſionem peccandi; ut ſi promittas alicui, quod non tenebitur impoſterum de dolo, de vi, de injuria, de furto, *l. 27. ff. de pactis.* Item quæ adimunt libertatem diſponendi de rebus ſuis; ut ſi promittas alicui, quod illum inſtitues hæredem, quod non revocabis teſtamentum. *Vide Molinam loco citato.*

REQUISITA AD VALIDITATEM PROMISSIONIS ONEROSÆ.

Ut promiſſio oneroſa, qualis eſt in contractibus, ſit valida, & obligandi vim habeat, requiruntur hæc pauca. 1. Ut promittentes ex utraque parte poſſint ſe obligare. 2. Ut velint, & intendant ſe obligare. 3. Ut conſultò, & deliberatè id faciant. 4. Ut ſpontè, & voluntariè, id eſt, ſine vi, & metu; ſine errore, & dolo. 5. Ut in re licita, & honeſta. Quæ omnia perſpicua ſunt.

REQUISITA UT PROMISSIO JURATA SIT VALIDA.

Ut promiſſio jurata, vel contractus juratus vim obligandi habeat, duo ſpectanda ſunt. Unum ex parte promiſſionis, alterum ex parte juramenti. Quod ad promiſſionem attinet ſi illa per ſe valida ſit, juxta ea quæ hactenus dixi; accedente juramento fit validior, & firmior. Si autem per ſe valida non ſit, propter aliquem defectum; recurrendum eſt ad juramentum, & videndum, an ſit validum, ita ut ratione illius præſtanda ſit promiſſio, quæ aliàs ex ſe non eſſet præſtanda. Pro qua re notandæ ſunt hæ duæ regulæ.

Prior. Quando id, quod juramento alicui promittitur, ſine ullo promittentis peccato ſervari poteſt, juramentum eſt validum, & ſervandum. Intellige, ſi ille, in cujus favorem factum eſt, illud ſervari velit; & aliàs legitimè

non relaxetur. Ratio hujus regulæ eſt, quia honor, & re-
A verentia divinæ majeſtatis, quam juramento in teſtem adduximus, poſtulat, ut efficiamus verum eſſe, quod promiſimus, ſi modò id licitè fieri poteſt, ne illam faciamus teſtem falſi.

Poſterior. Quando id, quod juramento promittitur, ſine peccato promittentis ſervari non poteſt, juramentum eſt invalidum, & irritum. Ratio eſt, quia nemo poteſt obligari ad peccatum. Id enim contradictionem implicat.

Utraque regula apertè colligitur *ex cap. cùm contingat, de jurejurando*, ubi dicitur, ſervari debere hujuſmodi juramenta (quæ fiunt ſuper contractu jure civili non obligante) ſine vi, & dolo ſpontè præſtita, cùm in alterius præjudicium non redundent, nec obſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ. Idem habetur *cap.2. de Pactis in 6.* Unde à contrario ſenſu colligitur, non eſſe ſervanda, ſi obſervatio vergat in diſpendium ſalutis. Vergit autem, ſi eſt peccatum mortale, aut veniale. Idem colligitur ex hac regula juris *in 6.* Non eſt obligatorium juramentum, contra bonos mores præſtitum. Quod intellige, de bonis moribus naturalibus, quorum contrarium eſt peccatum; non de civilibus, quos tantum expedit eſſe in
B republica, ut benè ſit ordinata politicè. *Vide Sylveſtrum Ver. Pactum num.8. & 11.*

UNDE ORIATUR OBLIGATIO VALIDÆ PROMISSIONIS IN GENERE.

Juxta triplicem promiſſionem, nempe gratuitam, oneroſam, & juratam, de quibus actum eſt, ponam tres concluſiones.

Prima eſt. Obligatio, qua quis tenetur in promiſſione gratuita, ac liberali, oritur ex duplici virtute, nimirum veritatis, & fidei. Unde ſi non præſtat, dupliciter peccat. 1. quia mendax eſt, contra virtutem veritatis. 3. quia perfidus, & infidelis eſt contra virtutem fidei, ſeu fidelitatis.

Altera concluſio. Obligatio, qua quis tenetur præſtare, quod promiſit in contractu oneroſo, oritur ex triplici virtute, nempe, Veritatis, Fidelitatis, & Juſtitiæ. Unde ſi non præſtat, tripliciter peccat. 1. quia mendax eſt. 2. quia perfidus, ſeu infidelis. 3. quia injuſtus.

Tertia concluſio. Obligatio, qua quis tenetur præſtare, quod promiſit cum juramento, non ſolum oritur à virtutibus præ-
C dictis, ſed etiam à virtute religionis. Unde ſi promiſſio fuit gratuita, accedente juramento, tenetur ex triplici virtute, Veritatis, Fidelitatis, Religionis: ſi oneroſa, ex quadruplici, Veritatis, Fidelitatis, Juſtitiæ, & Religionis: Et ſi non ſervet, eſt mendax, perfidus, injuſtus, perjurus.

IN SPECIE.

Etiam ſingulæ virtutes, & earum obligationes ſpeciatim ſunt explicandæ. Ac primò, Virtus veritatis ad duo nos obligat. 1. ut ſincerè, non fictè promittamus, id eſt, ut quod verbis promittimus, etiam animo promittamus. 2. ut opere præſtemus, quod promiſſum eſt. Scholaſtici explicant his terminis; ut verba noſtra conformemus menti; & facta conformemus verbis. Utrumque enim requiritur, ut quis ſit verax in dicendo vel promittendo, ut docet *Cajetan. in 2.2. qu.113. art.1. ſub finem*, & colligitur *ex D. Thom. 2.2. quæſt. 80. art. unico ad 3.*

Virtus fidei, ſeu fidelitatis ad unum nos obligat, nempe ut quod promiſimus, opere præſtemus. Quæ fidelitatis obligatio non eſt eadem cum poſteriori obligatione veritatis,
D ſed eſt major, cùm promiſſio plus liget, quàm ſimplex affirmatio.

Virtus Juſtitiæ, quæ habet locum in contractibus, ſeu promiſſionibus oneroſis, obligat nos, ut tribuamus unicuique quod ſuum eſt ratione contractus. Hinc generatim definitur *ab Ulpiano l. juſtitia, ff. de juſtitia, & jure;* Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi. Similia habent *D. Aug. l.10. de civitate Dei c.21. D. Ambr. lib.1. de officiis, cap.24. D. Thom. 2.2. q.58. alii.*

Virtus Religionis obligat nos, ut Deo reverentiam, & debitum cultum exhibeamus, ut docet *D. Thom. 2.2. q.8. art.7.*

Hoc autem fieri poteſt variis modis. Uno, per juramentum. Juramentum enim eſt externus cultus, quo profitemur Deum eſſe infallibilis veritatis, eumque adducimus, ut teſtetur nos loqui verum. Si quis ergo abutatur hoc cultu, & cùm deberet Deum adducere in teſtem veri, adducat in teſtem falſi; facit contra obligationem virtutis Religionis, & perjurium committit.

QUANTA SIT OBLIGATIO.

E

Obligationis hujus magnitudo ex quatuor dictarum Virtutum obligatione eruitur.

Primum itaque virtus Veritatis, qua teneris ſincerè promittere, & promiſſum præſtare, ne ſis mendax, ſemper obligat ſub peccato: Et quidem per ſe non obligat, niſi ſub veniali, per accidens tamen, ratione damni, vel injuſtitiæ, poteſt obligare ſub mortali. Ratio eſt, quia mendacium ſemper eſt peccatum: & quidem, ſi nemini noceat, non eſt niſi veniale; ſi tamen noceat graviter, poteſt eſſe mortale. *Ita D. Thom. in 2.2. q.110. art. 2. & 4.* ubi diſtinguit triplex mendacium, nempe, jocoſum, officioſum, & pernicioſum: & duo priora dicit eſſe venialia; tertium mortale.

Secundò, Virtus Fidelitatis, qua teneris promiſſum præſtare, ne ſis infidelis, & perfidus, per ſe obligat ſub mortali, niſi parvitas materiæ excuſet. *Ita Navarrus c.18. n.6. Sotus l.7. de juſt. q.2. art.1. ad 2. Richardus in 4. d.38. circa 3. principale quæſt.3. Anton. 2.p. tit.20. cap.1. §.4. & Sylveſter. Ver. pactum n.4.*

Tertiò, Virtus Juſtitiæ, qua tenemur promiſſum præſtare in pactis, & contractibus oneroſis, ſemper obligat ſub mortali, niſi parvitas materiæ excuſet. *Ita paſſim Theologi cum* F
D. Thoma in 2.2. q.59. art.4.

Quartò, Virtus Religionis, qua obligatis promiſſum, aut pactum juratum præſtare, ne ſis perjurus; per ſe obligat ſub mortali. Nam perjurium eſt peccatum mortale, & quidem graviſſimum, ut omnes fatentur cum *D. Thoma in 2.2. q.89. art. 3.*

De Promiſſis, et Promittentibus Apophtegmata.

Pythagoras, age, inquiebat, res præclaras, nihil magnifici interim promittens. *Stob. ſerm. de Virt.*

Adoleſcens quidam ponticus pollicebatur ſe rationem Antiſthenis habiturum; ſi navis ipſius, quæ ſalſamenta vehebat, appuliſſet. Antiſthenes accepto novo vaſe, unà cum adoleſcente, ibat ad mulierem, quæ vendebat farinam, & impleto vaſe, cœpit onuſtus diſcedere. Mulieri verò poſcenti farinæ pretium, commonſtrato adoleſcente. Hic (inquit) dabit, ſi navis cum ſalſamentis appulerit. Significans inanes eſſe in diem pollicitationes, cùm farina quotidie ſit præſenti pecunia emenda. *Laert. l.6. Bruſ. l.2. c.2.*

Alcibiades apud Platonem in ſympoſio ait, ſe quoties Socrati occurrat, verecundia affici, quia promiſſa non ſervave-
rit: atque cupere Socratem ob id è vita excedere. G

Ageſilaus, cùm inducias per tres menſes pactas Tiſſaphernes non ſervaſſet, oratores ad eum miſit, qui agerent gratias illi, quod promiſſo non ſervato, Deos ſibi hoſtes reddidiſſet. *Plut.*

Ageſilaum Lacedæmoniorum Regem, cùm quidam urgeret improbè poſtulando, ut promiſſum præſtaret, atque hoc ipſum crebrò repeteret: Rectè ſunt, inquit Rex. Siquidem juſtum eſt, quod petis, promiſi; ſin minus, dixi, & non promiſi. Quo dicto oſtendit promiſſum nequaquam præſtandum eſſe, quo is, cui promiſſum eſt, lædi poſſit. *Plut. in Lac.*

Phocion dicere ſolebat. Non magna quidem hominibus promittenda, ſed magna facienda eſſe. Verùm ejus dictum invertunt hodie, qui aureos montes, ac Crœſi opes pollicentur hominibus, cùm ne gry quidem præſtent. *Stob. ſerm. de Prudentia.*

Leoſthenes cum civitatem Athenienſium ad bellum pepu-
liſſet, magnificis ſpeciebus ad nomen libertatis, ac principa- H
tus erectam: Phocion illius verba dicebat eſſe cupreſſis ſimilia; quæ ſublimes cùm ſint, ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in ſermonem ſplendidè, magnificèque pollicentem, ſed infrugiferum: quemadmodum cupreſſus arbor ſublimi, compoſitoque in conum vertice, procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix ulla eſt ſterilior. *Plut. in apoph.*

Scipio minor cùm C. Lælio conſulatum petenti ſuffragaretur, Pompejuſque, qui tibicinis filius putabatur, ſuffragaturum ſe eſſet pollicitus, atque longa expectatione Scipionem fruſtraretur (ſuam enim rem curabat) indignantibus cæteris, quod deluſi eſſent, Scipio ſubridens: Stultitia (inquit) eſt noſtra tanquam non homines ſimus rogaturi, jam diu tempus terimus tibicinem expectantes. *Plut.*

C. Cato dicebat, ſeſe operam ſuam, in eo quod non contra officium peteretur, ſolere polliceri omnibus, ſed impertire eis, apud quos optimè poni arbitraretur. Senſit, nulli promitten-

mittendum quod eſſet præter honeſtum: nulli tamen negan- A dum, quod non contra officium peteretur. Comitatis eſt benignè polliceri: ſed quoniam omnibus opera præſtari non poteſt, eligendi ſunt, quibus eam impertias. *Utrumque refert Cicero ad Q. fratrem de petitione conſulatus, & Bruſ. l. 1. c. 15.*

---

* Pronunciatio.

* Definitio, et Etymologia.

PRonunciatio, Græcè προφορὰ, & προφέρω, pronuntio dicitur. Hebr. *mibta*, à verbo *bitto*, eloquor, dicitur etiam *dabar*, à verbo *dibber*, loquutus. Eſt autem pronunciare proferre. Unde pronunciatio pro ipſa prolatione accipitur. Eſt etiam pronunciare decernere, & ſtatuere, de iiſque dicitur jus cognoſcendi.

* Apophthegmata.

Theocritus ad Grammaticum quendam ludi magiſtrum malè pronunciantem accedens, rogavit. Qui fit, quod Geometriam non doceas; Is cùm reſpondiſſet. Quoniam ignoro. Quid tum; dixit. Nam legere etiam neſcis, Notavit autem pronunciationis vitium in Grammatico, qui non tantum ipſe B lingua promptus eſſe deberet, ſed aptus etiam, ut aliorum verba, & voces formet. *Stob. ſerm. de Imprudentia.*

Demoſthenes, cuidam percontanti, quid eſſet in eloquentia præcipuum; reſpondit, Actio. Roganti, quid proximum; reſpondit, Actio. Roganti, quid tertium; nihil aliud reſpondit, Actio, tantum tribuens pronunciationi, ut in ea totum ſitum exiſtimaret. Actio autem multa complectitur, vocis moderationem, oculorum vigorem, vultus habitum, & totius corporis geſtum. *Eraſ. l. 4. apopb. ex Quintil.*

Pauſanias ſophiſta, quoniam more ſuæ gentis craſſa lingua ſonabat, confundens conſonantes, breves producens, productas corripiens, vulgò dictus eſt coquus, qui pretioſa obſonia male condiret. *Philoſt. in ſophiſt. & Volat. lib. 18. Urban. comm.*

Celebratur C. Cæſaris dictum, quod prætextatus adhuc depromſiſſe fertur, in quendam modulatius orantem. Si legis, cantas: ſi cantas, male cantas. Quidam latrant orantes, verius quam loquuntur. Sunt qui Rhetoricam pronunciationem affectantes, media ſunt inter canentem, & loquentem. *Meminit* C *hujus Quint. Fach. & Eraſ. l. 8. apopb.*

Plutarchus, Exercitationem in arte oratoria dicebat rem eſſe nullius momenti, ſi pronunciationis negligeretur ratio. *Plut. in Demoſth.*

☞ *Vide Tit. ſequenti, de Philiſco Rhetore.*

ACTIO, PRONUNCIATIO RHETORICA.

☞ *Literarum, & vocum, alia grammatica eſt pronunciatio in ſono aptè exprimendo: alia rhetorica, in apto, & decente motu oris, oculorum, capitis, manuum ſita. De priore ſub Grammaticis: poſterior hujus eſt loci. Geſtus præterea, motuſque corporis à Rhetore in primis formatur, à Poeta poſtmodum amplificatur, & per Hiſtriones propagatur. Exempla utriuſque hoc loco ſub communi Titulo proponemus: qui ex Tit. Mimorum illuſtrari poterit, quatenus* ὑποκρίσει *ſua movet auditores, & ſpectatores. Porrò ad Actionem propriè dictam, referunt quidam (inter quos, & Campofulgoſus)* πίστεις παθητικάς, *externo geſtu ad movendam accommodatiſſimas. Sed eas nos ſub Inventionem paulò antè retulimus.*

Elegans, Venusta, Decens.

D Plato, etſi Lyſiæ inventionem non laudat, & notat confuſionem, pronunciationem tamen decantat, & quòd unaquæque vox detornata eſſet dilucidè, & rotundè. *Plut. de Audiendo.*

Æſchines fuit voce canora, ut ex Demoſthenis verbis, & Democharis oratione patet. *Plut. in vita Æſchinis.*

Multitudini mirificè Demoſthenis actio placebat. Elegantiores, in quibus eſt Demetrius Phalereus. humilem ejus geſtum, abjectum, & mollem cenſebat eſſe. Æſiona refert Hermippus de veteribus rogatum oratoribus, & de ſuis æqualibus, dixiſſe: Illos ſi audires, admirareris modeſtiam, & magnificentiam eorum, quæ ad populum diſſerebant: Demoſthenis verò orationes, ſi eas leges, multùm excellunt artificio, & acrimonia. Sanè orationes ſcriptæ ejus nemo negat, quin multùm auſteri habeant, & amari. *Plut. in Demoſth.*

Æſchines, cùm propter judicialem ignominiam, relictis Athenis, Rhodum petiiſſet, atque ibi rogatu civitatis ſuam prius in Cteſiphontem, deinde Demoſthenis pro eodem orationem, clariſſima, & ſuaviſſima voce recitaſſet, admirantibus cunctis utriuſque columinis eloquentiam, ſed aliquantò magis Demoſthenis: Quid ſi (inquit) ipſum audiſſetis? Tantus E orator, & modò tam infeſtus adverſarius, ſic inimici vim, ardoremque dicendi ſuſpexit, ut ſe ſcriptorum ejus parum idonem lectorem eſſe prædicaret: expertus acerrimum vigorem oculorum, terribile vultu dondus, accommodatum ſingulis verbis ſonum vocis, efficaciſſimos corporis motus. Ergo etſi operi illius adiici nihil poteſt, tamen in Demoſthene magna pars Demoſthenis abeſt: quod legitur potius, quàm auditur. *Valer. l. 8. c. 10.*

Antiphon Athenienſis, ob orationis dulcedinem Neſtor vocatus eſt. *Steph. Grammaticus, & Plut. in ejus vita.*

C. Gracchus eloquentiæ, quàm propoſiti felicioris adoleſcens (quoniam flagrantiſſimo ingenio, cùm optimè Remp. tueri poſſet, perturbare impiè maluit) quoties apud populum concionatus eſt, ſervum Erycinum poſt ſe Muſicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fiſtula pronunciationis ejus modos formabat, aut nimis remiſſos excitando, aut plus juſto concitatos revocando: quia ipſum calor, atque impetus actionis, attentum hujuſce temperamenti æſtimatorem eſſe non patiebatur. *Val. Max. l. 8. c. 10. & Gell. l. 1. cap. 11. ex Cicerone,* F *& Cælius l. 9. cap. 1.*

L. Craſſus id unum ſingulare habuit, ut quoties peroreret, toties ſolito altiùs, ac ſine exemplo locutus videretur. *Cicero in Oratore.*

L. Apulejus Saturninus, ſeditioſorum omnium poſt Gracchos eloquentiſſimus viſus eſt, magis ſpecie tamen, & motu, atque ipſo amictu capiebat homines, quàm aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. *Cic. in Bruto.*

Cn. Lentulus multò majorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat. Qui cùm eſſet, nec peracutus (quanquam, & ex facie, & ex vultu videbatur) nec abundans verbis (etſi fallebat in eo ipſo) ſic intervallis, exclamationibus voce ſuavi, & canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea quæ deerant, non deſiderarentur. *Cic. in Bruto.*

Q. Catulus ſummè fuit laudatus propter lenem, ſuavemque literarum pronunciationem. *Cic. in Bruto.*

P. Lentuli excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus, & artis, & venuſtatis, vocis & ſuavitas, & magnitudo. *Ibidem.*

C. Lentulus cæterarum virtutum dicendi mediocritatem, actione occultavit, in qua excellens fuit. *Cic. de cla-* G *ris orat.*

Q. Hortenſius plurimùm in corporis decoro motu repoſitum credens, penè plus ſtudii in eodem elaborando, quàm in ipſa eloquentia affectanda impendit. Itaque neſcires, utrùm cupidiùs ad audiendum eum, an ad ſpectandum concurreretur: ſic verbis oratoris aſpectus, & rurſus aſpectui verba ſerviebant. Conſtat, Æſopum, Roſciumque ludicræ artis peritiſſimos, illos cauſas agente, in corona frequenter aſtitiſſe, ut foro peritos geſtus in ſcenam referrent. *Val. Max. l. 8. c. 10. & Volat. l. 14. c. 3. Anthrop.*

Q. Hatterius orator inſignis, ut, quemadmodum olim Gracchus, pronunciationem rebus, quas tractabat, accommodaret, ſervum poſt terga habebat: qui vel lentiùs vel vehementiùs agentem, veſtis contactu moneret. Nam propter nimiam in dicendo attentionem ſibiipſi diffidebat. *Fulg. l. 8. c. 10.*

C. Julius Cæſar pronunciaſſe dicitur voce acuta, audenti motu, geſtuque non ſine venuſtate. *Suet.*

Trachalus orator Domitiani temporibus habuit ſummam vocis felicitatem. Pronunciatio enim vel ſcenis ſuffectura, & H decocta ei inerat. *Volat. l. 20. Anthrop.*

Pius II. Pont. Max. pronunciabat voce ſonora, & gravi, verùm eodem ſpiritu ſemper, & crebris intervallis, ut diceret ex tempore ſine cura videretur. *Campanus in ejus vita.*

Robertus Licienſis; qui Minorum ordinem profitebatur, inter concionatores, ætate ſua princeps, rogatus à concive, ut filio ſacerdoti quoſdam ſermones ex iis, quos eo anno ornatiores habuerat, dare vellet, ei morem geſſit. Verùm poſteàquam pater filium eos recitantem audivit, arbitratus neque efficaces ad rem, neque ornatos eſſe, cum Roberto graviter quæſtus eſt, ſe ab eo eluſum: quòd non eos ſermones, quos ipſe anteà ſingulari audientium attentione pronunciaverat, ſed alios deteriores dediſſet. Cui Robertus prius ſatisfacere non potuit, quàm ipſe denuò eoſdem pronunciavit: & oſtendit, veluti in muſicis idem carmen in diverſo inſtrumento, magiſtroque, ſic eundem ſermonem à diverſis pronunciatum, diverſum videri. *Fulg. l. 8. c. 10.* Exemplum Satyri erga Demoſthenem imitatus, cujus *Plut.* meminit.

Nulla.

Nulla.

A Fama eſt, Hyperidem citrà ullam actionem dicere ſolitum, tantùm, quæ geſta eſſent, exponere. *Plut. in via Hyperidis.*

Inepta, et Vitiosa.

☞ *Huc pertinet Balbuties, & vocis hæſitantia, aut aſperitas, ſi in eos, qui eloquentiam profitentur, cadat. Alioqui inter Corporis mala ſuo loco referenda.*

Motus, & homines inconditos, & arte carentes Marcus Tullius in Oratore teſtatur à Græcis appellari ἀπαλαίστους, quaſi dicas à palæſtra alienos: quòd in palæſtra exercitati, etiam in cæteris actionibus venuſtatem quandam habent: quemadmodum indicat in Oratore ad Brutum: Non, inquit, ut in ea tamen omnia ſint, ſed ut ſic adjuvent, ut palæſtra hiſtrionem. Talis eſt ſaltatio Cyclopica, & Sileni: *Eraſmus in Proverbio,* ἀπαλαίστοι.

Carneadem Stoicum, cùm nondum magnæ auctoritatis eſſet, in gymnaſio diſſerentem, miſſo quopiam gymnaſiarchus monuit, vocem acutam ut remitteret. Fuit enim vocaliſſimus. Cùm ille reſpondiſſet: Da mihi vocis modum, non ineptè occurrit: Do eum, qui tecum B ſermocinatur. An quòd haberet unicum auditorem. *Plut. de Garrulitate.*

Iſocrates inter familiares dicere ſolitus eſt, ſe quidem docere decem minis: cæterùm qui ipſum docuiſſet audaciam, & vocalitatem, mercedis loco ei ſe daturum decem millia. Quæ quoniam naturæ ſunt, non artis, à præceptoribus dari non poſſunt.

Demoſthenes Princeps Atticæ facundiæ, primùm ad populum verba faciens, tumultibus excipiebatur, & deridebatur: quòd confuſis circuitibus, & nimis aſperè contortis argumentis uteretur, ad hæc etiam voce exigua, minimèque firmis lateribus eſſet. Quem cùm in Piræeo, abjecto animo, conſpexiſſet jam exacta ætate Eunomus Thriacius, increpavit eum: quòd cum facundia ſua germana eſſet Periclis, ſibi ipſe deeſſet præ timiditate, & ignavia, qui neque turbas ſuſtineret animosè, neque corpus ad actiones inſtrueret, ſed inertia ſineret torpeſcere. Alio tempore ajunt, cùm exploſus domum ſe capite obvoluto, & mœſto animo reciperet, ſecutum Satyrum mimum appellaſſe eum. Conquerente lamentabiliter apud eum Demoſthene, quòd qui in- C ter omnes eſſet Oratores laborioſiſſimus, corporiſque in eo vigorem penè conſumpſiſſet, non placeret populo tamen: ſed temulenti nautæ, indocti audirentur, tenerentque ſuggeſtum, ipſe reiiceretur: Rectè ais, Demoſthene, dixiſſe Satyrum. At ego citò medebor cauſæ, ſi mihi carmina aliqua Euripidis, aut Sophoclis memoriter velis pronunciare. Quæ ubi pronunciavit Demoſthenes, repetiſſe eadem poſt Demoſthenem, Satyrum: itaque egiſſe, & reddidiſſe vultu decenti, & apta actione eoſdem verſus, ut planè Demoſthenes alios putaret. Ut jam intellexit, quantum ex actione dignitatis, atque venuſtatis accederet orationi, eam tenuem, atque inanem duxit declamationem, ſi pronunciationem, & actionem negligas. *Plut. in Demoſth.* At *in vita Æſchinis.* Andronico mimo hanc admonitionem tribuit, qui demonſtravit dictionem ejus præclaram eſſe, tantùm defici eum actione: commemoravitque, quæ concio de eo prædicaſſet, Qui fide habita, tradidit Andronico ſe. Unde requiſitus: Quidnam primum in oratore eſſet? Actio, inquit. Quid ſecundum? Actio. Quid tertium? Actio.

Quodam tempore vox Demoſthenem inter concionandum D defecit, ob multitudinis fremitum. Id obiicientibus, ita reſpondit: Hiſtriones è voce judicare par eſt, oratorem à mente: ὑποκριτὰς δεῖ κρίνειν ἐκ τῆς φωνῆς, τοὺς δὲ ῥήτορας ἐκ τῆς γνώμης. Hiſtrio ſervit populo, Orator conſulit: ille delectat, hic prodeſt. Ad benè conſulendum non refert, quàm ſis vocalis, ſed quàm opportuna ſuadeas. Actori voce opus eſt, quæ vincat multitudinis fragorem: orator talis eſſe debet, ut populus ipſum ultrò tacitus, & attentus auſcultet. *Plut. in vitis Decem. Eraſmus in Apophtheg.*

Inter convicia, quibus Æſchines lapidat Demoſthenem, etiam τὸ βοιωτιάζειν obiicit, quòd Bœotorum more vociferaretur immodicè, & indecorè, inſtar bovis, vel quòd Bœotorum partibus faveret. *Eraſmus.*

Cum Demoſthenem adiiſſet quidam, ut cauſam ſuam ſuſciperet, orans, commemoraretque à quopiam ſe cæſum: dicitur Demoſthenes reſpondiſſe: Tu verò nullam injuriam, ut dicis, paſſus es. Hic cùm homo vocem intenderet, ac vociferaretur: Ego verò, Demoſthene, injuriam non ſum paſſus? Nunc dixiſſe, ego vocem audio læſi, & violati. Tanti referre arbi- E trabatur ad fidem faciendam, vocis contentionem, & actionem dicentis, & in primis Oratoris. *Plut. in Demoſth.*

Cleon Athenienſis, demagogus ſcurrilis, & audax, cùm Spartanos CCCC. in Sphacteria Inſula cepiſſet, impotenti ſumpta audacia cùm alias Reipublicæ invexit calamitates, quarum in ipſum magna pars redundavit, tum decorum ſuſtulit in ſuggeſtu inter concionandum exclamavit primus, pallium aperuit, femur percuſſit, & curſu inter dicendum eſt uſus: atque hinc ea, quæ poſteà confudit, totam Rempublicam licentia, & honeſtatis contemptu imbuit Rempublicam gerentes. *Plutarch. in Nicia.*

Q. Pompejus, qui Bithynicus eſt dictus, ſummo ſtudio dicendi, multa doctrina, incredibili labore, atque induſtria fuit. Hujus actio non ſatis commendabat orationem: in hac enim ſatis erat copiæ, in illa leporis parum. *Cic. in Oratore.*

C. Macer patronus cauſarum, in inveniendo acutiſſimus fuit, & diligentiſſimus: ſed vox, geſtus, & omnis actio ſine lepore. *Cic. in Bruto.*

Sex. Titius, homo loquax, & acutus, tam ſolutus, & mollis fuit in geſtu, ut ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. Ita cavendum, ne quid in agendo, dicendove facias, cujus imitatio rideatur. *Cic. in Bruto. Quintil. l. 2.* F *Eraſm. in Adagiis.*

Domitius Afer Manlium Suram multùm in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus jactantem, togam deiicientem, reponentem, non agere dixit: ſed ſatagere. Actio enim oratoris eſt. Satagit autem, qui fruſtrà, miſerèque conatur. *Quintil. lib. 11. de Pronunc.*

M. Callidius Q. Gallum accuſavit, M. Tullio defendente, Cùmque accuſator affirmaret, ſe teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturum, ſibi à reo fuiſſe præparatum venenum: ſed interim rem tam atrocem, remiſſo vultu, languida voce, ac reliquo geſtu parum concitato pronunciaret: M. Tullius, Tu (inquit) niſi fingeres M. Callidi, ſic ageres? Ex actione colligens, non ex animo loqui. *Cic. in Bruto.*

In Cotta damnabatur literarum dilatatio, & agreſtis quædam, & planè ſubruſtica pronunciatio. *Cælius lib. 13. cap. 1. Antiq. Lect.*

Curio Orator, præterquam quòd in cogitando eſſet tardus, in inſtruendo diſſipatus, parumque rerum propoſitarum meminiſſet, in utramque etiam partem toto corpore vacillabat G in oratione. In hunc urbanè C. Julius jocatus eſt: quæſivit enim, quis loqueretur è lintre? Et Cn. Sicinius, Trib. pleb. impurus homo, cùm Curionem, & Octavium Conſules produxiſſet, Curioque multa dixiſſet, ſedente Cn. Octavio Collega, qui devinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus: Nunquam, inquit, Octavi, Collegæ tuo gratiam referes, qui niſi ſe ſuo more jactaſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. *Cic. in Bruto.*

Cicero Oratores, qui inter dicendum vociferantur, dicebat claudis eſſe ſimiles, qui ex imbecillitate ſic ad clamorem, ut illi ad equos confugerent. *Plut. in Cic. & in Apopht.*

Urbanè Flavius Virginius Antiſophiſtam quendam ſuum interrogavit: Quot millia paſſuum declamaſſet? Taxans eum, quòd in clamando diſcurreret, nimiumque crebras longas, ac tumultuarias haberet ambulationes: cùm M. Tullius oratori non concedat procurſiones, niſi raras, moderatas, ac breves. *Quintil. lib. 11.*

Salſum eſt illud Caſſii Severi, qui adversùs Patronos immodicè diſcurrentes, ut interdum ſe proriperent in aliena tribunalia, popoſcit lineam: alludens ad certamina curſus, H in quibus una linea deſignabat, unde curſus inciperet, altera ubi deſineret. Idem accommodari poteſt in eos, qui digreſſionibus immodicis divertunt ab inſtituto. *Eraſm. lib. 8. Apoph.*

Teſtius Penarius in dicendo mentum intorquebat. In hunc Cæſar ita jocatus eſt: Dic, ſi quid velis, ait, cùm nucem perfregeris. Notavit incompoſitos mores, ac geſticulationes parùm decoras. Nam qui habet in ore nucem duram, in rumpendo, mentum ſolet intorquere. *Bruſon. l. 4. c. 31.*

Philiſcus illaudatus rhetor, cùm cauſam ageret pulchrè veſtitus, ſed tumultu irruens in tribunalia, voce ſemimuliebri, lingua ſupina, quovis potiùs ſpectans, quàm ad ea, quæ agebantur: averſatus dicentem Imperator, ſtuduit illi os occludere: totaque actione aquam intercipiebat, breves ſubinde percontatiuncula obiiciens. Ad quas cùm parùm appoſitè reſpondiſſet Philiſcus: Virum, inquit Imperator, arguit cæſaries, Rhetorem; vox Græca pluſculum habens leporis:

τὸν

τὸν μὲν ἄνδρα δείκνυσιν ἡ κόμη, τὸν δ' οὐ ῥήτορα φωνή: notans illum, A quòd attonſa cæſaries declararet virum, ſed oratio non declararet eſſe rethorem, ſed feminam potiùs. *Philoſtratus*.

Quidam ad populum verba faciens, cùm Stentorea voce debaccharetur, quædam ex aſtantibus fœminis plorare conſueverat. Ille mulierem ad ſe vocatam rogavit, quæ cauſa eſſet fletus, num verbis ſuis commota, lachrymas pias effunderet? Reſpondit illa, ſibi à marito moriente aſellum relictum, inopiæ ſuæ præſidium. Eo nuper amiſſo, ægrè ſe victum tolerare, Itaque quoties illum audiat magna voce boantem, videri ſibi aſinum ſuum rudere, cujus recordatione ad flendum vel invita compellatur. *Poggius in Facetiis*.

☞ *Conſule locum de Grammatica, ubi pleraque de pronunciatione Grammatica.*

* Propheta. Prophetia.

* Definitio, et Etymologia.

Nomen Prophetiæ à præfando Græci προφημὶ deduxerunt. Hebræis Nebua. Unde Nabi Prophetes, radice B verbi incerta, niſi dicamus eſſe Ban, quod intelligentem ſignificat, quia ſcilicet res oculis fideliter ſubjectas cognoſcunt. Unde & Prophetæ videntes vocantur apud Hebræos 1. *Reg.* 9. *verſ.*9. Itaque Propheta ſive προφήτης propriè non componitur ex πρὸ, & φαίνω, ut is ſit Propheta, cui aliquid prius apparet, quàm fiat: ſed ex πρὸ, & φημὶ, id eſt, loquor.

Propheta igitur eſt is, qui ex Dei inſtinctu rem, antequam eveniat, prædicit, & hoc quidem juxta vocis notionem, & originem.

Extenditur alioquin nomen Prophetæ, ut ſignificet eum, qui arcana cordis, aut alia ſecreta revelat, & eum, qui eſt conſcius mentis divinæ, interpres, & internuncius divini numinis, quique arcana divinorum conſiliorum perſpecta habet, & enuntiat, quomodo Abraham Dei amicus, & familiaris, vocatur Propheta. *Gen.*20.

Prophetia autem definitur divina inſpiratio rerum à nobis procul diſtantium, eventa immobili veritate, & maxima cum certitudine prænoſcens, atque denuncians. Datur enim donum Prophetiæ ad Eccleſiæ utilitatem, ut quæ Deo inſpirante C Sancti cognoverunt, eadem annuntient aliis.

Lumen autem, quo cognoſcunt, cùm ſit impreſſio ſubitaria, reducit S. Thomas ad paſſibilem qualitatem. *Julius* tamen *Sirenus l.*7. *de facto c.*14. ad habitum reduci vult, & communem ſententiam impugnat.

* Significata Varia.

Prophetia generatim in ſcriptura S. dicitur facultas, qua quis prænunciat certò, & infallibiliter quævis recondita, ſive præterita, ſive futura, dicitur facultas illa, Dei conſilia, & placita plenius, ac certius tum cognoſcendi, tum enarrandi ad Eccleſiæ profectum, quam Spiritus S. afflat, & aſpirat hominibus certis, qui inde Prophetæ vocantur. Hujus pars quædam eſt præſenſio, aut prædictio futurorum, aut etiam quorumvis reconditorum, ſive præteritorum, ſive futurorum. Pars altera, & quidem divinior, & principalior eſt de Deo, deque pietate, & virtutibus dexterius, & divinius diſſerendi facultas, non ſtudio parta, ſed ab eodem ſpiritu aſpirata: nam ſi ſtudio parta eſt, ſcientia eſt, & doctrina non D Prophetia.

Itaque S. Paulus, qui Evangelium ſuum non ab homine accepit, ſed per revelationem Jeſu Chriſti *Gal.*1. ex perpetua potius Prophetia, quàm doctrina docuit, & prædicavit.

Primò ergo Prophetæ vocantur, qui futura vel arcana inſtinctu Spiritus S. proloquuntur.

Secundò, Doctores non quivis, ſed qui ejuſdem Spiritus S. inſtinctu docent, & exhortantur ad pietatem.

Hinc tertiò, Prophetæ dicebantur, qui arripiebantur vi quadam ſpiritus, ut Hymnis Deum celebrarent, & populum ad pietatem provocarent. Sic 1. *Reg.*10. Spiritus inſiluit in Saul, & prophetavit: & ut dicitur *cap.*19. depoſuit veſtes, & nudus cecinit per diem, & noctem. Rurſum quia Prophetæ Helias, & Heliſæus ſuos habebant diſcipulos, qui quaſi viri Religioſiores, certis temporibus, tum decantandis pſalmis, orando & laudando Deum, tum excutiendo, meditando, & docendo legem Domini, præ aliis ſeſe ſtudioſè occupabant, quique interdum ſingulari afflatu ſpiritus arripiebantur; ut ille, qui Jehu in Regem unxit: hinc omnes hi dicti ſunt Prophetæ, horumque filii, vel diſcipuli dicti ſunt filii Prophetarum: de quibus fit mentio *l.*4. *Reg.* præſertim quia inter illos ſemper ali- E qui erant veri Prophetæ.

Hinc quartò, extenditur Prophetæ nomen ad cantores quoſvis, ut prophetare ſit idem quod pſallere, & Dei laudes ſimpliciter canere. Sic 1. *Paral.*15. filii Aſaph, Heman, Idithum dicuntur prophetare in pſalteriis, citharis, & cymbalis, hoc eſt, hæc inſtrumenta pulſare, & Domino pſallere. Erant tamen inter hos cantores veri Prophetæ, ſcilicet Principes Cantorum Aſaph, Heman, Idithun, qui ex afflatu S. Spiritus compoſuerunt pſalmos eorum nomine inſcriptos, ut tradunt Hebræi.

Quintò per Catachreſin Prophetæ vocantur deliri, qui ex afflatu mali ſpiritus inſolentius delira, & inſana proloquuntur. Sic 1. *Reg* 18. invaſit ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ, hoc eſt, delirabat, & inſolentia loquebatur, quaſi actus Enthuſiaſmo.

Unde & profani Poetas vocabant Vates, & Prophetas, eò quod, & ipſi viderentur Muſarum quodam furore agi, inſtar Sibillæ in componendis, & decantandis carminibus. *Ovid. lib.*6. *Faſtor.*

Eſt Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet. F

Sextò, Prophetare ſignificat miracula facere. Hoc enim erat opus Prophetarum, qui erant viri ſancti, & divini, & quaſi organa Dei, divinæque ſcientiæ, & potentiæ. Sic *Eccl.* 48. dicitur corpus mortuum Heliſæi prophetaſſe, quia ſuo contactu mortuum reſuſcitavit. 4. *Reg.*13. *verſ.*21. Sic enim ſumitur Propheta. *Luc.*7. *verſ.*16.

Septimò, prophetare eſt Prophetiam confirmare. Sic *Eccl.* 49. oſſa Joſeph dicuntur poſt mortem prophetaſſe, id eſt, quando per caſtra, & cum caſtris Hebræorum egredientium ex Ægypto efferebantur ſimul oſſa Joſeph, tacitè teſtabantur, & loquebantur priſtinam ejus de hoc egreſſu prophetiam veram eſſe, eamque confirmabant.

* Species, uti et Spiritus Quintuplex.

Deus *in l. Num.c.*12. *verſ.*6. ita dicit: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione ſcilicet imaginaria, & intellectuali: apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.

Notat hic *Eugubinus*, quinque diſtingui Prophetiæ ſpecies: prima, eſt quæ fit, במארה *bemare*, id eſt, in viſione. G Secunda per ſomnium. Tertia in ænigmate, cùm aliud videtur, aliud innuitur, uti erat, cum *Jerem. c.*1. vidit ollam accenſam, cùm librum comederet *Ezech. c.*2. *verſ.*8 & *S. Joan. Apoc.*10. *v.*20. Quarta per figuras, cùm rerum imagines intuemur, cùm acies, cùm choros, cùm pompas, cum præclariſſima quædam conſpicimus. Hæ quatuor fiunt per abſtractionem à ſenſibus, qua fit, ut neque audiamus, neque tangamus, ſed tota mens in viſiones has abripiatur. Quinta eſt, cùm ſenſu, & ſtatu corporis immutato, allocutio divina fit homini; quo modo Deus Angelos alloquitur, & allocutus eſt Moyſen, & paucos alios.

Spiritus autem propheticus complectitur quinque. Primò prudentiam regendi. Secundò, doctrinam, & conſilium, ad dubia tam juris, & juſtitiæ, quàm ceremoniarum, & religionis, aliaque quælibet reſolvenda. Tertiò occultorum cognitionem, ad decidendas lites, & cauſas occultas. Quartò, propriè futurorum prænotionem, ad ea vel accerſenda, vel præcavenda, & arcenda à populo. Quintò, Dei laudes, & hymnos.

* Gradus. H

Prophetarum viſiones communiter fuerunt ſenſibiles, tum quia videbant objecta quædam ſenſibilia, uti vidit Jeremias ollam ſuccenſam, virgam vigilantem, caniſtrum ficuum: Daniel vidit arborem, ſomnium Regis quatuor beſtias, &c. Ezechiel vidit currum, rotas, animalia, &c. Tum quia per Angelos eſſe communiter factas has viſiones cenſent *S. Dionyſ. de cœl. Hierarchia cap.*4. *& S. Auguſt. lib. de Trinit. c. ult. Damaſ. de fide cap.*3.

Porrò Angelus Prophetis communiter non in ſua, ſed in Dei perſona loquebatur, eamque repræſentabat. Unde paſſim dicunt Prophetæ, hæc dicit Dominus, non Angelus.

Ut plurimùm ergo Deus revelabat prophetiam, & voluntatem ſuam Angelo. Angelus deinde eam revelabat, & loquebatur in imaginatione Prophetæ, idque variis modis. Varii enim ſunt gradus viſionum harum propheticarum, quorum alii aliis ſunt perfectiores.

Primus, & infimus eſt, ait *D. Tho.* 2.2. *q.*174. *art.*3. cùm quis ex interiori arcano inſtinctu, & impulſu, ſive expreſſa revelatione, movetur ad aliqua exterius facienda, ſicut de A Samſone dicitur. *Judic.*15. quod irruit ſpiritus in eum, cùm vincula ſua diſſolvit. Hoc modo multi Eremitæ, & Sancti præſagierunt, & etiamnum præſagiunt, & præſentiunt futura.

Secundus eſt, cum Prophetias diſertè concipiebant prophetantes, & enuntiabant, ſed ignorabant ſe prophetare, quomodo prophetavit aſina Balaam, & Caiphas Pontifex prædixit mortem, & redemptionem Chriſti, quam tamen non cognovit: quia ad ſuam malitiam, & ſævitiam in Chriſtum eam detorſit. *Joan.* 11. *v.*51.

Tertiò, alii ſolo viſu Prophetias excipiebant, ut uni tantùm fieret apparitio ſymbolorum, vel imaginum, alteri verò revelaretur eorum ſignificatio. Tales fuere imagines ſpicarum, & vaccarum viſæ Pharaoni, *Geneſ.*41. 1. & arboris proceræ viſa Nabuchodonoſori, *Dan.*2. quarum ſignificatio aliis, ſcilicet Joſepho, & Danieli à Deo eſt revelata. Rurſum alii dormiendo, alii vigilando videbant viſionem; poſterius priore erat clarius, & ſublimius.

Quartò, alii Prophetiam hauriebant ſolo externo auditu vocis loquentis, uti Samuel, dicens, Loquere Domine, quia audit ſervus tuus. 1. *Reg.*3. 10.

B Quintò, alii viderunt per imaginationem viſa quædam portendentia futura, alii verò audiebant vocem interius loquentem, & futura annuntiantem. Hoc poſterius frequentius accidit Prophetis, fuitque perfectius. Auditus enim ſermo diſtinctius, & clariùs enuntiat rem, quam ſymbolum, & ſignum ejus viſum. Perfectiſſimus verò modus fuit, cùm ſimul viderent viſionem, & audirent vocem illam explicantem, ſic Jeremias videns ollam ſuccenſam, mox audivit, quod illa portenderet incendium, & excidium Hieroſolymæ, & aliarum gentium per Nabuchodonoſorem.

Sextò, alii audierunt res naturales, ut eventa, & ſucceſſus bellorum, Regum, Monarchiarum: alii res ſupernaturales, ut vocationem Gentium, reprobationem Judæorum, myſteria Trinitatis, Incarnationis, paſſionis Chriſti, hoc illo fuit perfectius.

Septimò, aliquando juſſi ſunt à Deo non tantùm verbis, ſed & factis prophetare, & portendere futura; ut cùm Iſaias nudus inceſſit *cap.*20. portendit ſpoliationem, & nuditatem Ægypti, & Æthiopiæ; cum *Jerem. c.*27. *v.*2. vincula, & compedes collo geſtavit, portendit captivitatem Babylonicam; cum Ezechiel C trecentis nonaginta diebus in uno latere cubavit, ac fimum boum comedit, portendit obſidionem, & famem Hieroſolymæ. *Ezech.*4. *v.*4. *&* 11.

Octavò, non tantum rem videbant, & verba audiebant, ſed & ſubindè videbant perſonam loquentem, & res demonſtrantem: idque erat perfectiſſimum; quia per hoc oſtendebatur, quòd mens Prophetæ magis appropinquabat ad cauſam revelantem. Rurſum perfectius erat, ſi perſona loquens videretur in ſpecie Angeli, quomodo viſa eſt paſſim à S. Joanne in Apocalypſi, quam ſi videretur in ſpecie hominis, quomodo Jeremias, & Onias apparuerunt Judæ Machabæo, 2. *Mach.* 15. 15. dicente Jeremia: Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies adverſarios populi mei Iſrael.

Denique utroque perfectius erat, ſi perſona loquens videretur in ſpecie Dei, quomodo vidit *Iſaias cap.*6. Deum ſedentem in ſolio, indeque ſecum colloquentem. *D. Thom. art.*3. *loco citato*. Huic diviſioni ſimilis, & ſubalterna eſt diviſio *Iſidor. lib.*7. *Etymol. c.*8. *& ex eo D. Thom.* 2.2. *qu.*174. D *art.*1. *ad* 3. Prophetiæ, inquit, genera ſunt ſeptem. Primum eſt eccſtaſis, quod eſt mentis exceſſus, ſicut vidit Petrus vas ſubmiſſum de cœlo cum variis animalibus. Secundum eſt viſio, ſicut apud Iſaiam dicitur, Vidi Dominum ſedentem, Tertium eſt ſomnium, ſicut Jacob ſcalam dormiens vidit *Gen.* 28. 12. Quartum genus eſt per nubem, ſicut ad Moyſen loquebatur Dominus. Quintum eſt vox de cœlis, ſicut ad Abraham ſonuit Deus, dicens: Ne mittas manum in puerum *Gen.*22. 12. Sextum eſt, accepta parabola, uti contigit Balaam *Num.*23. 7. Septimum eſt, repletio Spiritus S. ſicut penè apud omnes Prophetas.

Hæc diviſio ſumitur ex varietate tum modorum, tum objectorum, & formarum imaginabilium, vel ſenſibilium prophetiæ. Tria enim prima, putà eccſtaſis, viſio & ſomnium, ſunt tres modi prophetandi; tria verò ſequentia ſunt objecta, & ſenſibilia ſigna, quæ perceperunt Prophetæ. Inter quæ primum eſt, res quædam corporea exterius apparens viſui, quam ponit quarto loco. Secundum eſt, vox formata, exterius ad auditum hominis delata, quam ponit quinto loco. Tertium eſt vox per hominem formata cum ſimilitudine alicujus rei, quod pertinet ad parabolam, quam ponit ſexto loco. E

Rurſum quoad modos prophetandi. *Iſidor. ibidem*, *& S. Aug. lib.*12. *de Gen. ad litter. c.*7. *& ſequent.* ponunt tria genera viſionum: primum ſecundùm oculos corporis, alterum ſecundùm ſpiritum imaginarium, tertium per intuitum mentis. Hæc diviſio petitur à potentiis cognoſcitivis in homine, quæ ſunt tres, ſenſus, imaginatio, & intellectio, uti explicat *D. Thom.* 2.2. *q.*174. *art.*1. *ad* 3.

* HABITUS, ET DISPOSITIO INTERNA Prophetarum.

Varias in Prophetis reperire eſt diſpoſitiones, quæ ad revelationes, quarum paulò antè meminimus, ſunt neceſſariæ, vel valdè opportunæ. Prima eſt mentis quies, & tranquillitas; nam omnibus quidem ait *S. Baſilius proœmio in Iſaiam*, adeſt Spiritus ſanctus, verùm in his, qui puri ſunt affectibus, vim peculiarem oſtendit. Sic Angeli apparentes in Scripturis, & varia oracula annuntiantes, velut viam præmuniunt, dum timorem eximunt, eaque ratione animum eorum, quibus revelant, ſua myſteria præparant.

II. Abſtractio animæ à ſenſibus, & ſenſibilibus rebus, per F crebram orationem, & meditationem, cùm enim anima ſit virtutis limitatæ, ait *S. Auguſt. lib.*10. *de Trin. cap.*4. non poteſt ſimul intendere rebus terrenis, & divinis. Hinc & Patriarchæ morti vicini potiſſimum prophetarunt; cùm jam à curis eſſent ſeparati, ut conſtat de Jacob. *Gen.* 49. de Moyſe *Deut.*33. & Heliſæus Dei oraculum poſtulaturus, Pſalten vocavit, 4. *Reg.*3. *verſ.*15. Atque ad hoc plurimùm facit fuga voluptatum. ita Moyſes jejunio 40. dierum ſe præparavit, ut acciperet Dei oracula in Sina. *Exod.*34. Item ſolitudo, quam idcircò plures viri ſancti intrarunt, ut divinis vacarent.

III. Vitæ ſanctitas, quæ licèt non ſemper fuerit neceſſaria, cùm etiam Saul. 1. *Reg.*19. Balaam *Num.*22. Caiphas *Joan.*11. donum Prophetiæ acceperint, ac in die judicii dicent nonnulli, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? *Matth. c.*7. tamen ut donum illud continuum ſit, & velut habituale, omnino requiritur, ut conſtat exemplis illorum, qui in Scriptura celebrantur, quique catalogo Sanctorum in Martyrologio adſcribuntur. Quippe vitæ ſanctitas mentem elevat, & ad illuſtrationes accipiendas diſponit. Cùmque Prophetæ mittan- G tur ad docendum, & communefaciendum, melius id præſtiterint, ſi tam vita quàm voce ſonent.

IV. Eſt humilitas, quæ cùm animam compleverit, & dejecerit; tunc incipiet dilatari dilectione, & elevari ſpiritu. Illa enim ſubſternit mentem Deo, ut demonſtrat *Greg. l.*1. *Dialog. c.*1. Eaque ratione veteres Anachoretæ, aliique Sancti Propheticum ſpiritum adepti fuere.

* HABITUS EXTERIOR.

Veſtis Prophetarum erat ſaccus, ſive cilicium è pilis hircorum, aut camelorum, aut aliorum animalium contextum. Patet id in Helia, Eliſæo, Joanne Baptiſta. Et præcipitur Iſaiæ, Solve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis, *c.*20. Eo enim habitu ait S. Hieronymus; excitabant populum ad pœnitentiam.

An fuerint uncti oleo ſacro unctionis, quæri poteſt, verùm ordinariè unctos non fuiſſe conſtat: cùm id de unico dumtaxat Eliſæo legamus, ſcilicet ab Helia juſſum ungi, & conſecrari Prophetam. 3. *Reg.*19. neque eſt veriſimile, omnes fuiſſe ita H unctos, & conſecratos. *Vide à Caſtro lib.*4. *prolog. c.*5.

Subinde tamen Dei juſſu ſumebant alium habitum, ſive indicia conformia oraculis, quæ eſſent promulgaturi. Sic Jeremias jubetur induere catenas, & vincula, ut inſtantem captivitatem indicaret. *c.*27. Sic Ezechiel juſſus eſt *c.*12. aſſumere habitum tranſmigrantis: & incedere raſo capite, *c.*5. Præcepit Iſaiæ Deus ut nudus, & excalceatus, exutus ſacco, tanquam ſpectaculum compareret coram populo, ut adumbraret vaſtationem imminentem ſub Sargon Rege Aſſyriorum. *cap.*20. Zachariæ etiam mandatur *c.*11. ſumere vaſa paſtoris ſtulti, id eſt, inſtrumenta paſtoris immitis, & crudelis, quibus gregem ſuum lædit potius quàm paſcit, vaticinaturus namque mittebatur tyrannidem Antichriſti, & falſorum Prophetarum, qui populum Dei deglubent, & conſument. Ac plura deinde præfatis locis inveniuntur iiſdem præcepta, quæ primo intuitu ridicula apparent, tamen à Deo aſſumpta fuerunt ad maximarum rerum ſignificationem.